DISSERTATIO PHILOSOPHICO-JURIDICA DE CREBRO VSU BROCARDICORUM...

Digitized by Google

Digitized by Google

Erudito faventique Lectori.

Scripta ſua præfatione quadam aut commendare ant exornare, multi ſunt, qui vetant, neque ego, de interno ſcriptorum valore ſatis judicari poſſe absque præmiſſa antefatione, diſputarem, externa vero quædam concurrere ſolent, quæ præmonuiſſe lectorem non parum juvat, ego itaque, nulla potiſſimum ſolita neceſſitate ad ſcribendum compulſus, quin idem facerem, aliter vix potui. Simulac nimirum, litterarum ſtudiis certa mente me devoverim, ſtatim in id incubui, ut tantum in illis perfectionis gradum aſſequerer, quanto unquam vires meæ, non impeditæ, pares forent; quem finem mihi propoſitum ut modo quam facillimo obtinerem, non potui non omnia, quæ ad eum perſequendum mihi aliquid videbantur conferre, media adhibere: pertinent huc omnino audire doctos viros, legere eorundem ſcripta, audita lectare, alios docere & ſimilia, quæ partim nec id ſine fructu, hactenus ſum ſecutus, partim & inpoſterum ſequi non intermittam; inter iſta vero etiam illud referri poſſe arbitrabar, ſi publicæ quædam mea cenſuræ ſubmitterem, ſimulque animum diſcendi cupidiſſimum eo manifeſtarem. Equidem haud ignoro, ſatis magnum in ſtudiis progreſſum fieri poſſe legendo, ſed & organa lectioni aptata ni-

Digitized by Google

mis cito hebeſcerent , & nimia materiarum legendarum copia notiones exinde hauſtas confuſas planeque obſcuras redditum iri verebar : Sociale itaque, ad finem propoſitum conſequendum, medium eſſe duxi, ſi & ſcribendo in ſtudiis me exercerem. Non omnem autem exinde capturus eram utilitatem, niſi ſcripta mea aliorum quoque ſubjeciſſem judicio ac cenſuræ , hoc enim facto in litterarum ſtudiis non promtitudinem ſolum ſed & aliorum correctionibus ac modeſtis admonitionibus certitudinem quoque ac convictionem me adepturum eſſe ſperavi. Hæ ſunt veræ, quæ ad ſcribendum me impulerunt cauſæ ; nullam jactito eruditionem, quippe quam ut olim obtineam annitor, nec Patronos quæro, ſufficit enim mihi Deus, iique qui diſcendi cupidis cupiunt non rogati. Ne vero legiſſe te pœniteat, quæ expectare poſſis, ipſius tractationis exordium te docebit ; nolim vero expectes Chartas , Diplomata , Documenta, ſollicite enumerata Adjuncta , Præjudicia, Reſponſa, Deciſa doctorumve Virorum dictis ac ſententiis totas repletas pagellas, ego enim non ſub præſidio coemto , meique exercitandi gratia tantummodo ſcribens, ne immaturis judiciis juri alicujus quid detraham, neque cauſæ illuſtri me immiſcere , hincque nec Chartis diplomatibus idque genus aliis aliunde accerſitis, a Patroniſve mecum communicatis ſuperbire, multoque minus, dum ego ſcribere intendebam, aliorum dicta ſcriptave transſcribere volui. Hæc ſunt quæ te, B. L. antequam legere incipias , ſcire tua meaque intereſſe putavi. Vale igitur, meiſque conatibus fave. Tu autem, optime Deus, in tuam ſolius, ut decet, gloriam, omnia fac cedant.

§. I.

§. I.

Exordium.

Seculo vivimus, quo plurimis ſcientiæ partibus non ſin-gularem modo lucem affundunt, ſed & easdem nitori ac puritati ſuæ reſtituere multis modis eruditi annituntur; ſic non primarias ſolum Philoſophiæ partes, ontologiam ſc. Cosmologiam, Logicam, Ethicam &c. Sed & Theologiam, Medicinam, Jurisprudentiam noſtram multo ſereniore, ac quidem olim, facie apparere novimus; nihilominus tamen omnes hasce diſciplinas, quamvis aliam alia turpius, mul-tis adhuc nævis ac impuritatibus eſſe commaculatas, nemo facile diffitebitur: Sic ipſarum ſplendori quam maxime of-ficere mihi jam diu videbatur nimia in plerisque diſciplinis brocardicorum ſ. proverbiorum receptorum vis ac potentia; Imprimis Jurisprudentiam noſtram ejusmodi abſurdiſſimis ignorantiæ velaminibus eſſe refertam ſæpe dolui: digna hinc mihi res viſa, me exercitandi ergo ſcripturum, deque materia quadam cogitantem, adverſus hancce Jurispruden-tiæ ſyſtematicæ peſtem calamum ſtringere.

§. II.

Scripturus de hac materia.

Eoque magis hanc materiam mihi ſelectam, utilitatis ſpeciebus lectori ſeſe commendaturam eſſe confido, quo ſæpius

Digitized by Google

ſæpius ſummos viros in ſcriptis ſuis nefandum hunc brocardicorum uſum exſecrari, ab eoque disſuadere animadverti. a) Neque etiam defuere, qui plurimas haſce paræmias colligere, eorumque ſenſum indicare operæ pretium eſſe exiſtimarunt, quas tamen hoc loco, etſi magnum huic ſcripto adferrent ornamentum, recenſere merito ſuperſedeo, quod ipſos poſt Polyhiſtorem illum Morhofii & celeb. Schotelium apud ill. Hertium §. V. *Prolegom.* ad *paræm. Germ.* ſi Georgium Tob. Piſtorium addideris, omnes collectos deprehendamus. *) Poſt quos viros, quæ ego collegerim, num plagium ſapiant, num novi quid contineant, num aliorum modo dicta repetant, penes lectorem potius quam penes me judicium erit. Laudati enim viri moresque iis occurentia proverbia tetigere potiſſimum, Juridica vero, (præter paucos, qui Germanica tantum collegerunt,) latina collecta qui examinarit, novi neminem. Ad exemplum igitur celeberrimi noſtri Pædagogæi Rectoris M. Job. Fr. Mickelii, qui poſt illos viros de *reſtringendo proverbiorum moralium uſu* proluſiones duas edidit, ego quoque brocardica quædam Juridica latina ſelecta examinare conſtitui: De ſingulis enim ſingulas Diſſertationes ſcriptum iri ob innumeram eorundem multitudinem ſane deſpero, quamvis qui id ſolide agant, grates ſuas demereri nemo dubitabit. b)

*) Hac exercitatione fere finita, in Catalogis librorum noviſſime editorum obſervabam ſcriptum aliquod rubr. Erklärung der vornehmſten Teutſchen Sprüchwörter, nach ihrem Urſprung und wahren Verſtande. edit. Lipſiæ 1746. cujus inſpiciendi cum mihi copia fieret, laudatu digniſſimum Auctoris anonimi inſtitutum eſſe deprehendi, hocque ſcriptum primam partem col-

lectionis omnium Germanicorum proverbiorum eſſe ex præfatio-
ne didici, in qua plurimos quoque auctores recenſitos invenire
licet.

a) Vide inter alios ill. Bœhmerum de Teſtam. non prælect. §.XXXVI. ubi graviſſime contra nimium uſum Brocardicorum ſentiens in fine huj. §. apponit. *Proficuum ſane foret, talia & ſimilia Brocardica colligere, & peculiari labore abuſum eorum oſtendere*: vid. im Amſel. in præf. ad Diſſ. not. b. cit. Langguth. de libert. ſentiend. Juriſperitorum. c. 3. §. 3.

b) Exempli loco eſſe poſſunt o. P. Zaunſchliſſeri de vulgato: Kauf geht vor Mieth, huicque oppoſita H. Zollum de illo Kauf hebt Miethe nicht auf de quo item nuper ſcripſit Ephr. Gerhardi Ludovici de *genuino intellectu brocard. comne Juram. quod ſalva ſalute æterna ſervari pot. ſervandum eſſe.* Amſel. de vulgato: *Unus actus nullus actus.* Einmahl keinmahl. Iſta brocardica quæ pro defendenda vindicta privata ſolent adduci refutavit incidenter ill. Boehm. diſſ. *de iniqu. & injuſtit. action. injur.* c. 1. quæ pro nimio ludendi ſtudio adferri ſolent exploſit Barbeyrac. tr. vom Spiel p. III, c. V. VI. VII. aliique plura, convenientibus locis.

§. III.

De origine brocardicorum etymologica.

Jam originem Brocardicorum indagaturi, aliam eſſe
vocum, aliam rerum eſſe ſcimus; vix legi meretur illorum
Etymologia, qui hanc vocem a Burckhardo illo, Decreta-
lium collectore, quem multorum proverbiorum autorem
venditant, eſſe derivandam, locoque ***Burckhardicorum***
Brocardicorum nomen exortum eſſe autumant; Hanc
vocem potius a Gallico illo ***Brocard***, quod dictum ***mor-***
dens, pungens, perplexique ſignificatus. Germ. eine
Stichelrede denotat, derivamus. Sufficit mihi, in præſenti
non de Brocardicis, ſed de eorundem nimio uſu acturo, hæc
Etymologia, ſtatim igitur ***Synonimiam*** hujus vocabuli hic
annecto, eadem nimirum ***Paroem. proverbiorum, Ada-***
giorum, Symbolorum quin imo ***regularum*** ac ***canonum***
nomine venire ſolent, hinc ſatis me intellectum iri confido,
ſi

ſi aliquo horum vocabulorum illorum loco uti Euphonia ſuadebit; omnia quomodo a ſe invicem differant, docuerunt alii, vid. Hert, l. c, §. III.

§. IV.

De origine brocardicorum reali.

Ad rei ipſius h. e. Brocardicorum ipſorum originem vero quod attinet, longe difficilior eadem eſt ad determinandum: Innumeram enim eorum multitudinem conſiderans, quis unam originem illorum eſſe crederet? Habent ſua ſingulæ gentes, ſingulæque ſocietates, habent ſua eruditi ſingulæque fere diſciplinæ, c) habet ſua plebs, habent ſua artifices, ſuntque ſua opificibus & quibus non? d) omnia tamen ac ſingula matrem ſuàm illam plurimarum veritatum genitricem, *Inductionem* intelligo proterve jactitant ac crepant; Maxima vero eorum vars quam injuſte hanc illuſtrem originem ſibi adſcribat, ex ſequentibus patebit.

c) Alia tamen iisdem eſt fertilior; ſic in iis diſciplinis, quarum veritates demonſtrationibus a priori, ut ajunt, deductis nituntur, non tam frequentia occurrunt ejusmodi brocardica: vix unum in Matheſi, diſciplina illa certitudinis gloria præ aliis celebri tibi occurret, id quod annon nauſeam illarum diſciplinarum, quæ tot brocardicis fultæ ſunt, in te excitare poſſit, numque decori ſit Jurisprudentiæ iisdem abundare, jam non decidam.

d) Sunt adeo ſua Diabolo, quibus tamen non ad velandam ſuam ignorantiam, tanquam hujus aſylo utitur, ſed eadem ad conturbandos, atque a veritate divina abducendos hominum animos adhibere ſolet, imprimis S. Scripturæ dicta a vero ſenſu detorquens.

§. V.

Conſueta hominum veritates univerſ. abſtrahendi methodus.

Miſeram nimirum ſui conditionem eſſe cito homines agnoſcebunt, quodſi de bonitate, pravitate, rectitudine, commodo aut incommodo rerum quarumlibet obvenientium

tium

tium per ſenſum demum ſ. experientiam ſingularem judicare de iisdem ipſos oporteret, rerum igitur ſimilium ſimiles eventus experti, notiones univerſales ſibi abſtrahebant, ſecundum quas aliis occurrentibus negotiis, ipſis ſimilibus viſis, eventus quoque ſimiles expectabant, ſæpe quæ nocebant, ipſos docebant, atque ſimili modo per Inductionem illam logicam procedi conſtat, Quemadmodum vero ii, qui inductionis ope veritates univerſales abſtrahere ſtudent, ab errore vix Logica duce cavere ſibi poſſunt, ita minime mirandum, indoctam plebem ac vulgum brocardicis uti permultis, quæ rite examinatæ ne umbram quidem veritatis ſæpe relinquunt; non immerito ſuperſtitiones illas, vaticinationes, præſagia, auguria & ſomniorum aliorumve eventuum interpretationes aliaque id genus vulgaria referri huc merentur. Doctum vero orbem ac eruditum tot abſurdiſſimis, non dicam non plane deſtitutum eſſe, ſed ſcatere adeo atque exuberare, quis non miretur? Duplicis tamen generis homines ejusmodi adagiorum auctores hic mihi concipio, alios qui docti in ſua ignorantia videri volebant, alios ſola ignorantia, ut hominibus accidere ſolet, lapſi, errores tales propalantes.

§. VI.

Ignorantium ſuperbia multorum brocard. cauſa.

Omni ſcilicet tempore viros, qui præ reliquis hominibus Studiis, artibusque liberalibus operam navarunt, extitiſſe, hosque ipſos ante reliquos omni honorum genere affectos, quique ſummis rebus præſint, dignos habitos eſſe, eosdemque multis vitæ commoditatibus, divitiis ac deliciis præ ceteris frui potuiſſe, nemo facile dubitabit. Non minus vero indubium eſt, omni tempore ſimul ejusmodi fuiſſe viros, qui, quam non poſſidebant eruditionem illorum commodorum cauſa tamen affectabant ac jactitabant, quod ut

eo majore ſecuritate ac ſpecie efficere poſſent, familiaria ſibi reddebant ſymbola ſ. proverbia quædam præter ſonum ſæpe nihil ſignificantia, ad quæ neceſſitate ad reſpondendum coacti tempore nimirum oſtendendæ eruditionis confugiebant, atque ita imperitis conſulentibus vere verba dabant quæ adeo Aſyla ignorantiæ recte cognominare poſſimus. Atque ejusmodi viris multa brocardica ſuam debere originem, cuilibet illa penitius mecum examinanti patescet. Refero huc Theologorum: *Ratio captiva tenenda eſt, miſterium hic latet*, *e)* *Philoſophorum qualitates occultas*, *hæc res neſcio quid habet*, *un je ne ſçais, quoi* Medicorum ac Phyſicorum *innumerabilia materiarum genera græcorumque verborum copiam* vid. Nicolai Theoretiſche und Practiſche Betrachtung des Pulsſchlages in præf. ex Ictorum ſcholis mihi, juris prudentiæ cultori, plura ejusmodi innotuerunt quam ut vel modicus liber omnes illos floſculos, ſymbola ac proverbia, quibus Deciſiones ac Reſponſa ipſorum ſunt exornata, capere poſſet.

e) Non ſuſpicor, tam inhumani erga me animi quendam fore, qui ex hiſce me miſteria noſtra divina, ſumma omnino reverentia colendo, negare concludat, aut qui rationem noſtram usque quaque pertingere poſſe, me tradere inſimulet; hoc tantum innuo ſæpiſſime in recurſu ad hæc brocardica nil niſi Aſylum ignorantiæ delitеſcere, qua in re plurimos me conſentientes habiturum eſſe confido.

§. VII.

Intellectus humani imbecillitas multorum brocard. cauſa.

Ad alterum genus hominum transgredior, ad eos nim. qui ſola ignorantia lapſi propoſitiones univerſales tanquam veras tradiderunt, alioſque docuerunt, quæ tamen ad veritatis forum deductæ falſitatis condemnantur; Quotidiana experientia edocti novimus propoſitiones ſyllogiſtice traditas, pro veris jactitatas, penitius inſpectas falſas deprehendi. Quis

igitur

igitur propoſitionibus ac judiciis ſola inductione atque uſu nitentibus idem accidere miretur; *Errare humanum eſt*, ipſi ajunt Brocardicorum Patroni; non pauca itaque brocardica a ſola ignorantia, hominumque ad labendum intellectu proclivi, ortum ducere quilibet facile mecum agnoſcet. Atque hinc brocardicorum originem non uni genti, nedum uni homini tribuendam eſſe, ſed eorundem numerum in dies ſenſim ſenſimque creviſſe videmus ut adeo ſingulorum brocardicorum ſingulos auctores indicare impoſſibile mihi fere videatur. Non incongrue hinc Ioh. Agricola collectioni ſuæ titulum indidit: driħundert gemeiner Sprüchwörde, der wy Deutſchen uns gebrücken und doch nicht Weten woher ſe kommen.

§. VIII.

Satis ſuperque, ut ego quidem arbitror, oſtendi plurima nobis adhuc non inconſueta brocardica ignorantiæ natales ſuos debere, quam veritatem etiam plurimis infra adductis exemplis latius adſtruere conabor. Quæ cum ita ſint non ſatis demirari poſſum, qui factum fuerit ut tam magna tamque inſignis auctoritas ab hominibus non plebejis ſed & qui eruditorum numero ſe adſcribi patiuntur ipſis contribuatur, ut apud ipſos quibus libet aliis veritatibus, experientiaque confirmatis, quin ipſi ſæpe voci divinæ, naturæ inquam ac rationi noſtræ prævalere illa potuerint. Tanta ipſis ineſt vis ac potentia, ut felicius contra validiſſimas rationes ac ſolidiſſima argumenta quam adverſus ipſa pugnare poſſis. f) ipſis prolatis omnia in contrarium adducta ratiocinia ac dubia ſtatim diſſoluta exiſtimantur. Vix ſolas Mathematicas demonſtrationes pondere æquales ſibi agnoſcunt; cujus tam enormis brocardicorum, per ſe ſæpe impotentiſſimorum, potentiæ quæ ſint cauſæ, merito inveſtigamus

Nimia omnium brocard. vis ac potentia.

f) Sin-

Digitized by Google

f) Singulari imprimis pondere ac gravitate eſſe cenſentur brocardica illa, quæ ex ſacris petita objiciuntur, id quod non in poſtremis Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ reſtauratores ſæpiſſime ſunt experti, qui eorum abuſum, iniquamque eorundem contra ſe factam interpretationem oſtendentes, multoties eccleſiaſticorum iram ac fulmen incurrerunt.

§. IX.

Nimia illius potentiæ cauſa 1. ignavia.

Solet autem vis injuſta ac potentia iisdem fere, quibus impetrata fuit, mediis ac viribus ſuſtentari, fraude occupata fraude ſolent propugnari, eandem ſortem brocardica illa obtinuere; ignorantia obſtetrice fuere progenita, eadem Patrona ac fautrice hactenus ſunt tolerata, imperitorum iterum non minus conſilio quam inertia: facillime enim ſuos nanciſcebantur Aſyla hæc ignorantiæ cultores, tam commoda eruditionis cujusdam venditandæ methodo commonſtrata; brocardicis enim ejusmodi bene inſtructus cuivis doctiſſimorum colloquio ſe immiſcere non dubitabat; vel quinquaginta juridicis talibus canonibus callide utens, quodlibet certamen eruditum, de victoria ſecurus aggredi, omneque examen rigoroſum ſubire non detrectabat; neceſſitate enim cogente ſub tormenta iſtorum Canonum recipere ſe poſſe ſemper tutiſſimum erat refugium. Tantum igitur abeſt ut maxima eorum, qui ſe eruditos compellare ſinebant, pars in veram illorum proverbiorum, ad velandam ignorantiam tantopere facientium, conditionem inquirere ſtuderent, ut potius hactenus uſurpata non ſolum retineri, ſed & eorum numerum in dies adaugeri, e re ſua eſſe bene animadverterent.

§. X.

Cauſa. 2. nimius erga veteres amor ac reverentia.

Non parum quoque ad obſervatum adhuc Brocardicorum tam frequentem uſum cœcus ac nimius erga veteres amor

amor ac reverentia, de quorum dictis ſententiisque, ſæpiſſime quoque male intellectis, vel dubitare religioni multi ſibi ducebant; ſpectat huc omnino Pontificium illud: ***Patrum regulas contemnere non licet*** c. quis autem. diſt. **X.** cui acceſſit hominum in inveſtigandis aliorum dictis uſu frequentatis negligentia, hominumque ad imitanda aliorum placita proclivitas; quæ cauſæ omnes cum hodie movere vehementer non amplius valeant, Jusque civitatis in regno veritatis diuturnitate temporis neutiquam obtineatur, meum, quod pro exterminandis ex Jurisprudentia noſtra pluribus ejusmodi brocardicis cepi inſtitutum, non plane infructuoſum fore confido.

§. XI.

Ex hactenus præſtructis, quæ vera ſit brocardicorum conditio ac natura facilius poterit intelligi, ſunt enim ***brocardica*** nihil aliud, quam ***propoſitiones quædam univerſales, quarum veritas ſola auctoritate atque uſu hominum nititur***; negari quidem minime poteſt, multa eſſe in brocardicorum numero, quorum veritas omnino ex veris principiis, ratiociniis ac definitionibus poteſt demonſtrari, eatenus vero eadem inter brocardica non eſſe connumeranda ſed ***axiomatum*** potius, ***Conſectariorum*** vel ***Poriſmatum*** &c. nomine venire debere ſtatuo, hæc ipſa vero inter illa quoque referri poſſe exinde probarem, quod a plurimis ſæpiſſime proferantur, qui ipſorum veritatem nullis demonſtrationibus confirmare queant, g) ſed iisdem ideo utuntur, quod eadem ab aliis uſu frequentata eſſe ſciunt; hinc etiam non raro factum eſt, ut multæ veterum ſententiæ, vera axiomata, ab iis qui uſum ipſorum ac conſuetudinem modo attendebant, male intellecta peſſime ſæpe, detractis, vel additis vocibus inconcinnis, corrumperentur,

Brocardicorum definitio.

Digitized by Google

atque adplicarentur, omnia hinc proverbia neutiquam ego exiſtimarem e Philoſophia veterum depromta eſſe, uti quidem Syneſius Cirenenſis Epiſcopus, nimis magnifice de ipſis ſentiens, in *laude calvitii*, autumare videtur. confer, ſis, ad hunc §. ea quæ inf. §. LXXXIII adduxi.

g) Sic quovis pignore decertarem, vix unum eſſe inter centum qui brocardicum illud, quo nihil fere frequentius auditur, Ein Wort ein Wort, ein Mann ein Mann, proferunt, qui propoſitionis illius: *Promiſſa ſunt ſervanda* veritatem demonſtrare a priori valeret, ad uſum ſolum provocabit, quo vero Jurisprudentiæ ſolidæ operam navans neutiquam contentus, iſtam propoſitionem tanquam conſectarium ex principiis ſuis eruere ſollicitus erit.

§. XII.

Brocardica triplicis generis eſſe oſtenditur.

Nequaquam vero ea menti meæ inſidet hæreſis, ac ſi omnia hactenus uſu obvia brocardica ignorantiam matrem ac originem haberent; Deprehenduntur omnino quæ ut aliæ propoſitiones univerſales veræ non exiguum in cognoſcenda veritate uſum præſtant, hinc quoque magni æſtimanda; occurrunt alia, quæ ad certum ſenſum reſtricta admitti ſane poſſunt, ſicuti Rector noſtri Pædag. celeb. l. c. ex moralibus plurima exempla jam adduxit; inveniuntur vero, etiam complura quæ nullo prorſus ſano ſenſu retineri poſſunt. Primi generis jam intacta relinquo, ſecundi vero ac tertii generis exempla proferens, aliorum conditionem veritati prorſus contrariam, aliorum vero reſtrictione dignam eſſe oſtendam.

§. XIII.

Brocard. I. Nulla regula ſine exceptione.

Primum omnino locum meretur tritiſſimum illud: *Nulla regula ſine exceptione*, cujus quidem tam frequens uſus & allegatio, tamque inſignis auctoritas eſt, ut non per Juris-

pruden-

prudentiam ſolum ſed per omnes ſcientiæ partes, brocardicorum patientes, potentiam ſuam ſtrenue exerceat, eoque firmiori profecto fundamento ejus vis ac poteſtas ſuperſtructa eſſe videtur, quod non a vulgo tantum doctorum, ſed a Viris ſumma eruditione præditis adhibitum, diuturnitateque temporis fere confirmatum deprehendatur, quæ omnia quidem de certitudine ejus dubia moventem ſtatim poſſint ab impugnanda ejus ſtatione aliquem deterrere; Tantum autem abeſt, ut hiſce rationibus dimoveri me ſinam ut potius eo majori apparatu contrarium aſſeruero, ſimulque demonſtravero, nullum omnium brocardicorum docto homine verique Syſtematis Jurisprudentiæ ſtudioſo hoc eſſe indignius; Ipſius igitur falſitatem & a priori & a poſteriori, ut ajunt oſtendere annitar.

§. XIV.

Meam vero de regulis ſententiam ut eo diſtinctius exponam, quam breviſſimis, unde regulæ ſint ortæ, quisque earum uſus ſit, inquirere lubet; Nunquam non ii, qui alios erudiendos voce vel ſcriptis ſuſceperunt, in id incubuere, ut erudiendis quam facillimum celerrimumque obtinendæ eruditionis cujusdam modum oſtenderent; cui facilitati ac celeritati cum ob nimiam rerum addiſcendarum multitudinem maxime obſtare viderent, quando ſingularium rerum cognitione ac deſcriptione ruditas animis modo eximenda eſſet, id quod inertes nimis moraretur, vixque centenaria ætas tantæ ſuffeciſſet, quantæ altera ratione vicennaria fere compos fiebat. Propoſitiones nimirum univerſales & particulares formatas erudiendis tradebant, quibus bene conceptis ac intellectis omnes ſub iſtis propoſitionibus comprehenſæ ſingulares ſtatim dijudicari ac reſolvi poterant, quare facilitas celeritasque rerum diſcendarum vehementer adjuvabatur atque ejusmodi propoſitiones *normas* appellitabant & *regulas*,

De ortu atque utilitate regularum.

Digitized by Google

las, regebant enim, ut alius regulus, omnes ſibi ſubjectas propoſitiones ſingulares; Nequaquam vero ſtatuere licet, iſtos; qui excogitandis regulis ſtudebant, ſemper quoque regulas vere tales inveniſſe, obfuit enim tam rei ipſius difficultas; quam intellectus humani arcta limitatio, quæ nimirum niſi obſtaret, plures de rebus ſinguralibus regulas ac definitiones facili negotio ſuppeditare, ſtudiorumque progreſſum infinite adjuvare poſſemus.

§. XV.

Regulæ definitio. Ortu itaque regularum eorundemque uſu cognito, ad formandam ejus definitionem me converto, quo enim facto de brocardici illius conditione ſtatuere faciliimum fore exiſtimo: ex definitionibus enim rerum nullas in iis occurrentes controverſias non decidi poſſe, cuilibet, qui, quid definitio ſit, non ignorat, palam eſt. *Regula* autem mihi eſſe videtur *norma* h) *ſecundum quam omnia ejusdem generis varia eode~ modo veniunt determinanda.* Rectitudo hujus definitionis & ex ipſa regularum natura & ex uſu loquendi ſano comprobatur; Cum etiam nullas ceteroquin voces obſcuras contineat, ulteriori ejusdem explicationi non immoror, multo minus, aliorum virorum definitiones hic ſollicite colligere intendo, inque præſenti hanc unam adeſſe mihi ſufficit; hoc tantum moneo, uti omnis definitio perfecta continet caracterem, ut Philoſophi ajunt reciprocabilem, hoc eſt, quo poſito & definitum ponitur, quoque negato definitum negatur, ita ſequitur; Ubicunque non omnia varia eodem modo ad aliquam propoſitionem accomodantur, ibi quoque nulla adeſt regula. Equidem ſunt, qui cum plurima ſaltem ad aliquam propoſitionem eodem modo determinantur varia pro regula hanc agnoſcunt; hoc vero conceſſo inter eas propoſitiones, quas ego pro regulis agnoſco

agnoſco, & eas, quas adverſarii agnoſcunt, nullum eſſet diſcrimen, id quod tamen abſurdum, cum idem eſſet, ac ſi ſtatueres, inter id quod ſemper fit & quod plerumque fit, non eſſe differentiam, quæ tamen ſeparata eſſe quis negaret? Separatorum autem ſeparata natura non ſolum, ſed etiam ſeparatis, ſi queas, nominibus ipſa notanda, de qua re vid, nota huic §. Subject.

h) Videt benevolus L. *normam & regulam* mihi diſtincta eſſe, normam mihi generis loco ſumi, regulam vero tanquam ſpeciem normæ, a coſpecie ſua in eo differentem conſiderari quod dentur normæ, ſecundum quas *non omnia varia* eodem modo determinantur, quæ mea diviſio annon regulis dividendi ſit conſona, iis, qui harum rerum ſunt periti, judicandum relinquo; regulæ vero & normæ voces promiſcue uſurpatas eſſe adhuc, meæ ſententiæ neutiquam officit, quippe nihil frequentius, quam ut ſpecies excellentior generis loco ſumatur. Coſpeciem quo nomine inſignire quis malit, parum mea intereſt. Sub præſumtionis voce ſatis commode eam indicari poſſe mihi quidem videtur, ut adeo *Præſumtio* tanquam oppoſita regulæ ſpecies nihil aliud ſit, quam *norma ſecundum quam plurima ſ. Pleraque ejuſdem generis varia eodem modo teterminantur.* Ab hac norma probabilitas derivatur, illudque brocardicum: *In dubio ſequimur id, quod ordinarium conſuetum, minimum eſt &c.* Aptiorem huic Coſpeciei, regulæ contradiſtinctæ, vocem ſi quis aliam exiſtimarit, ego non repugno.

§. XVI.

Veras regulas exceptiones non admittere, a priori demonſtratur.

Cum vero porro, ſi unam ſaltem ex illis omnibus ejuſdem generis variis, non eodem modo ſecundum illam datam propoſitionem univerſalem determinantur, eoipſo non omnia eodem modo determinantur, Conſequum eſt, ſi vel unum ex omnibus iſtis variis non eodem modo determinari poteſt, nec ibi quoque regulam eſſe; *cum* autem *iſte actus quo propoſitioni cuidam univerſali contrarium ali-*

Digitized by Google

aliquid, hoc eſt, non ſecundum eam determinatur, dicatur *Exceptio*, regula autem ne unicum quidem ex ſuis variis ſibi contrario modo determinari patiatur, nil ſupereſt quam ut iſtam regulam, a qua adhuc exceptio inſtitui poteſt, nullam eſſe concludamus. Ex ipſa igitur regulæ definitione, nullas ei obvenire poſſe exceptiones demonſtravi; Cum autem *ex ipſa alicujus rei definitione aliquid de ea demonſtrare dicatur a priori deducere* veritatem alicujus aſſerti, me uni mearum promiſſionum, quod nim. falſitatem brocardici illius a priori ſim deducturus ſatisfeciſſe credo.

§. XVII.

Demonſtratur a poſteriori.

Jam ad alteram officii mei partem progredior, *a poſteriori* nim. quoque falſitatem preſentis brocardici demonſtraturus, id quod multo faciliori negotio me facere poſſe arbitror. Cum enim *a poſteriori aliquid deducere* dicatur aſſerti alicujus veritatem *experientia tanquam teſte comprobare*, parvi negotii res mihi erit, allegare quasdam regulas, quibus nulla unquam exceptione derogatum fuit nec erit; Ego ad experientiam provocans vix ſumme ignorantem obſtrepentem me habiturum jam confido, ne vero ulla in re defuiſſe videar, exempli loco ſint regulæ: *Fac ea quæ te ſtatumque tuum perficiunt*, *Deus ante omnia colendus* & quid in recenſendis pluribus regulis hæream? pertinent huc omnes iſtæ propoſitiones univerſales veræ, majores a Logicis dictæ; conf. Koekler §. 617. Jur. Nat. Dolerem ſane, ſi paucos, quos in ſtudiis feci progreſſus, ejusmodi regulis vere talibus ſuperſtructos non haberem, illa ipſa, quæ ejusmodi certis propoſitionibns non fundata intelligo, nondum ſatis me ſcire lubentiſſime confiteor; oſtendant quæſo adverſariæ ſententiæ addicti exceptiones ab hiſce regulis exempli loco a me propoſitis.

§. XVIII.

§. XVIII.

Alterutra demonſtrationum commendatur.

Utrinque officio meo S. promiſſioni meæ ſatisfeciſſe ego mihi videor, quisque igitur, prout lubebit, vel priorem vel poſteriorem demonſtrationem falſitatis brocardici conſueti agnoſcet, contentus ero ſi vel una benevolus L. acquieſcet, nec vereor quendam fore tantum aſylorum ignorantiæ patronum, ut priorem meam demonſtrationem aſpernans alteram eo infringere intendat, ut ab hoc ipſo ſuo brocardico exceptiones agnoſcere, quam concedere malit, abſit autem a me, ut contra ejusmodi ignorantiæ Advocatos pugnare conſtituerem, qui potius victas dare manus me coactum eſſe profiterer.

§. XIX.

Conſenſus Legum & doctorum adducitur.

Veritate vel falſitate alicujus aſſerti ſatis evicta, nihilominus tamen conſenſum Legum & DD. inprimis ii, qui propria auctoritate adhuc ſunt deſtituti, ambire ſolent, nec inconcinne, ut mihi quidem videtur, ornamentum enim omnino hoc facto ſcriptis adfertur non infimum. Aperte mihi conſentientem habeo e veteribus Sabinum illum famoſiſſimum Jurisconſultum, de quo vid Schaumburg de Jurispr. vet. Stoic. c. IV. §. VII. nec non Paulum, quem πολυγραφώτατον fuiſſe ſcimus, L. 1. π. de reg. Jur. ito loquentem: *Regula quaſi cauſæ conjectio eſt, quæ ſimul in aliquo vitiata eſt, officium ſuum perdit. vid. omn.* Gothofr. ad h l. vide ſis contra aliorum commentatorum ad hanc L. clariſſimam quidem, ob præjudicium vero & auctoritatem brocardici ſui, miras & contortas interpretationes. Ex canonum Jure omnino huc quadrat can. 2. diſt. 3. cujus hæc verba: *Regula dicta eſt, quod recte ducit, nec aliquando aliorſum trahit* vid. e novioribus Wagner l. 1. Tit. III, 5. 14. Reſol, Pandect, Et plurium conſenſum ex alio-

rum definitionibus probare mihi facillimum foret, ſed ſufficiant hæc, cum partim veritas rite demonſtrata, legibusque utriusque Juris agnita, apud me ſuperet ſexcentorum D. D. conſenſum, partim etiam aliquos ex iſtis, mecum facientes quibusdam locis inſeruerim. Diſſentientes quod attinet, eorum objectiones infra examinare conſtitui.

§. XX.

Hoc brocard. cur ſingulari potentia gaudeat, cauſa I. adducitur.

Sicuti vero hoc brocardicum præ aliis ſingulari potentia pollet, quippe quod non ſolum in omnibus fere doctrinarum generibus locum ſibi arrogat, ſed & Viros non indoctos ab ipſius allegatione & uſu abſtinere non pudet; ita etiam in hujus tantæ poteſtatis originem in ſpecie inquirere lubet. Ignorantia eorum, qui, ut jam in genere monui §. VI. eruditionem quandam ſibi ineſſe gloriabantur, huic rei præ primis anſam dediſſe arbitror; horum enim multi, quamvis conficiendis regulis impares, multas propoſitiones pro regulis, iis quos erudiendos ſibi ſumſerant, voce vel ſcriptis commendabant, quæ quamvis nil minus quam regulæ, ab imperitioribus non ſolum ſumma reverentia acceptæ, ſed & poſtmodum, obſcuris potiſſimum temporibus, ob ignorationem auctorum pariter ac ob neglectam ejusm. propoſitionum neceſſariam ac debitam examinationem retentæ, jus & vim regularum conſuetudine inveterata ſibi vindicarunt; imperitorum deinceps non pauci, ex data aliqua vera regula tanquam propoſitione univerſali, reliquas ſub hac comprehenſas ſingulares legitima concluſione deducendi facultate deſtituti, permulta, quæ regulæ ipſis communicatæ contraria videbantur, pro exceptionibus venditare cogebantur, niſi inertiam ſuam publice profiteri vellent. Sic multa pro exceptionibus regularum habentur, quæ tamen regula ipſa non comprehendit, aut rite perſpecta excludit, i) ſæpiſſime

piſſime hinc peccatur contra ea, quæ poſt Dynum commentatorem Bronchorſtius in commentario ſuo ad Tit. ff. d. div. reg. Jur. monuit in fine: *Debet autem exceptio ſub regula contineri, puta, ſi de actione reali regula ſtatuatur, non recte ſubjungeretur exceptio in actione perſonali; Et ſi de homine regula conſtituatur non valet exceptio de aſino*, clara ſane & perſpicua admonitio; ipſi LLatores ab hoc vitio ſibi non ſatis caverunt, cujus rei exemplum vid. in Thomaſ. diſſ. de adopt. c. 1. §. XIII. n. 1.

i) pertinet huc egregius ille regularum limitationes colligendi mos, quæ, quamvis regulas minime ſæpenumero feriant, ſcripta ſua tamen ampliandi modum præbent eximium. Limitationes tanquam conſectaria proponere, quodque ea regulam non deſtruant, ſed potius ex ea determinentur, oſtendere ſyſtematicæ expoſitioni non repugnare arbitror, limitationes vero, a regula non deſcendentes, magis regulas obſcuras reddere, quam easdem illuſtrare exiſtimo.

§. XXI.

Non parum vero ad tantum brocardici noſtri valorem conferunt Grammatici, per quos linquarum magiſtros hoc loco intelligo, quippe qui tot tantisque exceptionibus, Anomaliis, Abundantiis & defectivis, & pluribus id genus aliis, tanquam ſignis rite traditæ artis Grammatices, teneros juvenum animos imbuunt, ut his ipſis ad altiora ſtudia provectis vix propoſitio aliqua regulæ nomine digna videatur niſi aliquibus ſaltem exceptionibus tanquam ornamentis ſit decorata. Certa me tenet perſuaſio, quodſi in inferioribus Scholis juvenes artem propoſitionibus univerſalibus legitime inhærendi docerentur, ipſos in ſublimioribus deinde diſciplinis multo majores profectus eſſe facturos. Jam ante multos annos idem de Grammaticis fecit judicium Fr. Sanctius in lib. elegantiſſimo *de cauſis latinæ linguæ*, ubi plurimas *Cauſa 2. Grammaticorum methodus docendi.*

abſurditates ſolide refutavit, a quibus tamen nec hodienum plane abſtinetur, ſcatent ipſorum libri regulis & exceptionibus quidvis potius aliud quam hoc nomen merentibus.

§. XXII.

Cauſa 3. nimius erga majores reſpectus.

Jam ſupra §. X. de nimia perverſaque erga veteres veneratione tanquam cauſa immanis illius brocardicorum potentiæ ſum locutus, circa præſens brocardicum in ſpecie notanda occurrit, injuſta maleque collocata exiſtimatio majorum, qui quidem regulas interdum ſtatuerant, ſuis temporibus non inconcinnos, poſterioribus vero ob mutatam rerum faciem non amplius applicabiles, ſic nominatim de regulis Juris obſervandum eſt, monet ill. Boehm. Diſſ. de jure pact. tert. quæſito c. 1. §. IX. *JCtos jus civ. antiquum adeo ſancte coluiſſe, atque in pretio habuiſſe, at regulas ejus non ubique deſererent, ſed in ore quidem adhuc haberent, tot tamen limitationibus reſtringerent ut exiguus regularum uſus in foro ſupereſſet*, ex quibus verbis, quæ doctiſſimi viri de genuina propriaque regularum notione ſit ſententia, ſatis apparet, pluribus infra apparebit; Præjudicium auctoritatis quam maxime præſens brocardicum adjuviſſe, non minus perſpicue ex illo jam ſupra allegato Pontificis canone: *Patrum regulas contemnere non licet*, colligi poteſt.

§. XXIII.

Cauſa 4. regularum illimitatus uſus.

Et in eo denique cauſam adoptionis hujus proverbii deprehendere mihi videor, quod multi haud animadverterint, multas quidem eſſe regulas, quæ in eo ſyſtemate, quo pertinent, k) officium ſuum nunquam non adimplere, prædicari merentur, quæ autem in alias diſciplinas translatæ officio ſuo non poſſunt defungi; ſic multæ regulæ Juris nat. in

in ſe immutabiles, in ſyſtemate ſuo nunquam officium ſuum, ut Sabinus ait, perdent, quæ tamen in adplicatione ad jus civile, tanquam mutabile ac voluntarium, pro regulis amplius non poſſunt conſiderari; *non facile invenire regulam præſertim in voluntariis quæ non patiatur exceptionem.* Ludewig, in Diſſ. d. mutuo diff. III. n. cc. in f. obſervat, quibus quidem verbis, ſi quid video, ſummus vir, conſuetudini ac uſui vocabulorum tyranno indulgens, hoc tamen innuere videtur; poſſe quidem veras regulas in diſciplinis non voluntariis deprehendi, difficulter tamen in voluntariis, de qua re infra pluribus agendi ſe offert occaſio.

k) Non poſſum ob ſingularem cum eis, qua modo dixi, conſonantiam, hic apponere, quæ ill. Iam ſæpe laudatus Boehm. tit. d. *Verb. ſignif.* §. II. Dig. obſervavit: *Juris regulæ antiqui, inquit, ſunt generales propoſitiones, circa quas tamen obſervandum non ſemper easdem ita generaliter, prout juvent, accipi poſſe, præſertim cum ſæpe ſint regulæ particulares, uſum in certis materiis tantum præſtantes, imo juris antiqui, quæ novo Jure ſæpiſſime immutatæ ſunt. Semper itaque attendendum, in quanam materia a JCtis adhibitæ fuerint, quem in finem Labitti indices Legum utiliter adhiberi poſſunt.*

§. XXIV.

Te tædet forſan b. L. tamdiu unius brocardici refutationi immorari, & ego tibi confirmo, ad me perſuadendum deque veritate aſſerta convincendum vix quarta parte opus tibi fuiſſe, ſed nec tibi mecum nec mihi tecum res eſt, utrique potius noſtrum cum viris, quibus proverbium illud in ſe invalidiſſimum non inane hactenus præſidium, ſuæque ignorantiæ aſylum præſtitit, proinde facile intelliges, eosdem illud tam facile non eſſe derelicturos, quamdiu vel aliquod leviſſimum contra prolata regeri poſſe ſibi perſuadebunt, ſunt enim tenax hominum genus ignorantes; ipſorum quidem eſſet, meas pro ſententia mea adductas demonſtrationes directis argumentis deſtruere, *Præparatio ad objectiones adverſariæ partis.*

 ere,

ere, iisque poſſeſſionem ſuam hactenus uſurpatam tueri ſed non eſt hic ignorantium mos, ſed objecta turba dubiorum ac conſequentiarum tutius aliorum ſententias impugnare aſſueverunt. Ne autem habeant, de quo glorientur, ſtudioſoque veritatis nullum dubium remaneat, in conflictum prodire non gravemur, ubi ut eo inſtructiores compareamus, duas adhuc quæſtiones, unam quomodo regulæ debeant confici? alteram an in colliſione forſan regularum admitti poſſit exceptio? ante decidamus, hoc enim facto eo diſtinctius nos illorum objectionibus occurrere valebimus.

§. XXV.

Qu. quomodo regulæ ſint formandæ?

Primam quod attinet quæſtionem ad eandem non poſſum non breviſſimis reſpondere, regulam ita eſſe formandam, ut vere regula fiat, hoc eſt, nunquam officium ſuum perdat, h. e. nunquam exceptionem a ſe admittat, alias enim ejusmodi propoſitio ne nomine quidem regulæ, vi definitionis, digna cenſenda, qua vero ratione procedendum, ut regulæ quamplurimæ menti noſtræ ſe ſiſtant, ex definitione regulæ definiamus. Cum enim quælibet regula ſit propoſitio univerſalis, hæc vero eruatur, per abſtractionem a propoſitionibus inferioribus, ſequitur ut quælibet regula continere debeat abſtractionem a propoſitionibus inferioribus formatam, ſic per abſtractionem regulam definit Beyer in poſit. ad ff. Tit. d. reg. Jur. Abſtractio autem cum fiat per ſeparationem ſimilitudinis plurium inferiorum, ſive generum, ſive ſpecierum & individuorum, facultas porro rerum ſimilitudines obſervandi dicatur ingenium §. 89. Jur. nat. Koehler, ingenioſus ad formandas regulas accedat oportet; collectis igitur individuorum ſimilitudinibus, regulas ſpeciales, collectis ſpecierum ſimilitudinibus regulas generales & ſic porro generaliores hisque ſuperiores, auxilio denique atque ope principii deter-

determinationis prædicati, de quo vid. Diſſ. Schierſchmid. formare poteris, *hoc multi ingenii magnæque artis opus eſt* ait Beyer, l. c.

§. XXVI.

Qu. An in colliſione regularum exceptio admittenda?

Ad alterius quæſtionis deciſionem me converto, num nimirum in colliſione duarum pluriumve regularum exceptionem ab una alterave ipſarum exceptionem admittere poſſimus; excuſares me forſan, quæ tua eſt humanitas b. L., ſi aſſeram meam de regulis aſſertionem recte ſe ſaltem habere, ubi regulæ ſolæ absque colliſione aliarum occurrant, ſed ego me ipſum non excuſarem ex ſequenti quidem ratione: Obſervavi enim omnes hactenus prolatas exceptiones regulæ cujusdam ſemper niti, tanquam fundamento ſuo, alia regula, ut adeo in omnibus exceptionibus ſemper, ſi non directe, tamen indirecte, colliſio ipſarum regularum obveniat: definiri hinc etiam memini Exceptionem per determinationem regulæ contrariam *ob Colliſionem regularum* ſimul obſervandarum conf. Schirſchmid. c. 1. §. 182. Jur. Nat. In caſſum igitur hactenus laboraſſem, ſi in colliſione regularum admitti poſſe exceptionem a regula concederem, id quod etiam ſupra in §. XVI. a me deductis minime reſponderet.

§. XXVII.

Obſ. 1. ceſſare doctrinam de colliſionis, & exceptionum materia.

Nunc igitur audiamus, quæ contra veritatem aſſerti noſtri moveri ſolent, dubia, interque ea illi, quod cum §. præcedente connexionem quandam habet, quodque omnium ſpecioſiſſimum, primum locum concedamus; ajunt nim. inutilem prorſus ſecundum mea aſſerta de colliſionibus & exceptionibus eſſe doctrinam, a ſummis tamen viris conſideratione dignam exiſtimatam. 1) Cum enim colliſio,

 hinc-

hincque inſtituenda exceptio non niſi in regulis occurrere ſoleant, quas tamen ab exceptionibus omnibus plane liberare mihi ſumſerim, prono ex dictis meis ſequi alveo, nullam neque colliſionem neque exceptionem amplius poſſe intelligi, eademque conſequenter tanquam non entia conſiderari, id quod tamen ſummorum doctiſſimorumque virorum conſenſui aperte repugnaret: Sed caveas, ne præmaturum judicium tuum dici mereatur. Equidem non ignoro, iſta principia, ex quibus poſitis per legitimam conſequentiam derivantur falſa ac abſurda, ipſa falſa eſſe ac rejicienda; officio vero me jam ſatis egiſſe puto, ſi falſa eſſe, quæ tu pro veris tanta confidentia jactitas, reponerem, tibique eorum, quæ contra hactenus deducta protuliſti, veritatem probandam relinquerem, meaque ipſa principia ſolidis argumentis a te deſtrui ego expectarem, m) ſed ab hoc onere egomet ipſe te relaxo, in me recipiens demonſtrationem aſſerti, tuo e diametro oppoſiti: nullam nimirum dari colliſionem regularum exponam.

l) Extant quod maximum eſt, multorum de colliſionis materia, ſcripta ac Diſſertationes, egit de *colliſione Legum* Hertius conſummatiſſimus ille Juriſconſultus, ill. Boehm. de *colliſione præſumtionum*, idem hanc materiam de colliſione tractandam commendat in *manuduct. ad method. diſput. & conſcrib. Diſſert. Jurid.* p. m. 133. item de *colliſione legum natur. in jure poſit. maxime attend. in materia d. ædificando in ſuo* ſcripſit ill. Cramerus, d. *colliſione putativa LL. div. & civ. de moderamine inculp. tut.* H. Scheffer, quo etiam pertinent, qui de eadem materia ſub alio nomine ſunt commentati Paulus Voetius de *concurſu ſtatutorum* Chr. Rodenburg d. *Jure quod oritur ex ſtatutorum vel conſuetudinum diſcrepantium conflictu*, ad eandem materiam referenda quoque Excell. Dn. Thomaſii *de contentione morum cum Jure ſcripto.* Diſſert.

m) Neutiquam enim mihi ſolidi argumenti inſtar prætenſus tuus omnium doctiſſimorum Virorum conſenſus habetur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Ex ipſa autem colliſionis definitione veritatem aſſerti mei conſequam fieri efficiam; ajunt colliſionem oriri *ex concurſu* n) *regularum ſimul obſervandarum* Koehler. §. 610. Jur. Nat. Schierſchmid. §. 182. l c. ubicunque igitur non concurrunt regulæ ſimul obſervandæ inter ſe pugnantes, ibi nec colliſio poterit concipi, quod ſi igitur oſtendero, nunquam in actione aliqua vel committenda vel omittenda duas pluresve regulas ſibi contradicentes ſimul obſervandas occurrere ſ. præſcribi, tunc me abſolutum iri mihi perſuadeo. Contueamur jam quædam colliſionis illius prætenſæ exempla: Collidere putant e. g. in moderamine inculpatæ tutelæ duas illas propoſitiones, nunc regularum loco nobis intuendas: *Conſervate ipſum. Ama proximum.* Jam vero ſinceritatem tuam appello, dic, ſodes, ubinam gentium in moderamine inculp. tut. ſimultanea harum regularum obſervatio tibi injungitur; ego ſane hoc nondum audivi, ſola conſervatio tui legitima, h. eſt, terminos nudæ defenſionis ac conſervationis ſui non egrediens, tibi præſcribitur. o) Ecquis, ut generalius loquar, a ſano Legislatore contradictoria ſimul obſervanda præſcribi ſolere crederet; plura igitur exempla ſi inſpicias, neutiquam in colliſionibus illis prætenſis duas regulas, ſimul obſervandas præſcribi deprehendes, ſed unam tantummodo *vere*, alteram vero *apparenter*, p) ex quo conficitur, nullam in ipſis occurrere *veram pugnam*, ſed *apparentem* hinc nec *colliſionem veram* ſed *apparentem*. Apparens autem colliſio non eſt vera ſed nulla colliſio; num igitur inter regulas colliſionem fieri poſſe crederes? q)

Duas pluresve regulas nunquam vere collidere oſtenditur.

n) Diſtinctius alii: *ex pugna regularum ſimul obſervandarum* vid. Hartmann de princip. Jur. nat. §. 94. in not. poſſunt enim concurrere regulæ ſimul obſervandæ, quarum nulla colliſio, quia nulla inter ipſas pugna, ſed ſub voce concurſu idem forſitan illis ſignificatur.

o) Si

o) Si quis regerat, in moderamine inculp. tut. omnino etiam attendendam eſſe dilectionem proximi; ego eatenus colliſionem adeſſe, quatenus conſervatio ſui non negligitur, negarem Jure meritoque.

p) Ex his manifeſtum fit, qua ratione vera colliſionis definitio ſit formanda, eandem nim. eſſe *pugnam duorum pluriumve propoſitionum, quarum una vere, altera apparenter obſervanda venit*, atque hoc ſignificatu colliſionem meam de regulis ſententiam non deſtruere, ſtatim animadvertes, de colliſu igitur Legum, regularum aliarumve propoſitionum dicturus ea quæ vere obſervanda veniunt, ab iis, quæ obſervanda tantumodo videntur, ſolicite ut ſeparet, curare debet, cujus rei exempla plura deprehendes in ſcriptis ſub not. l. citatis.

q) Atque hinc *nullas* quoque eſſe illas *exceptiones*, ſed *apparentes*, quæ ob colliſum regularum prætenſum inſtitui a nonnullis jubentur, quippe in iis caſibus inſtituuntur ubi ipſæ regulæ non vere ſed apparenter tantum præcipiunt; id quod clarius adhuc ex §. ſeq. exſplendeſcet.

§. XXIX.

Ulterius illuſtratur.

Quæ ut eo clariora fiant, aliud adhuc exemplum colliſionis putativæ contemplemur, nonne regeris, manifeſta eſt inter illas duas regulas colliſio: *Deus ante omnia verendus, parentes omni honore mactandi*, hoc in caſu, colliſione ambarum regularum obveniente, a poſteriore exceptionem inſtituendam recte jubent Moraliſtæ; ego vero nullam inter haſce duas propoſitiones colliſionem mihi concipere valeo, idque tam propter ea, quæ §. præc. aſſerui, quam ex ſequente ratione. In omnis diſciplinæ conſtituendo Syſtemate ſemper unam regulam, altera priorem, ſuperiorem, unam altera poſteriorem ac inferiorem inveſtigando concipimus; quotiescunque itaque caſus cujusdam ſ. quæſtionis huc pertinentis deciſio ac dijudicatio exigitur, ad priorem ac ſuperiorem regulam tanquam primariam, non attenta poſteriore ſ. inferiore, tanquam ſecundaria, recurrendum, ex eaque

deciſio

deciſio quæſtionis petenda r) continet igitur inferior alicujus ſyſtematis regula ſemper, quamvis non expreſſum ſaltem tacitum ſenſum, s) *quatenus ſuperior jam evicta regula, hujus inferioris applicationem patiatur*, neque cerebrina modo hæc eſt ſubintellectio, eadem enim non obſervata, inter regulas unius Syſtematis contradictio oriretur manifeſta, qua re abſurdius vix quicquam cogitari poteſt, nec aliter in toto ac univerſo veritatum ſyſtemate procedendum eſſe arbitror t) cum itaque iſta regula: *Honora parentes*, in ſyſtemate diſciplinæ moralis, longe inferior ſit iſta ſuperiore: *Cole Deum*, neutiquam in caſu obveniente concurrere duas regulas ſimul obſervandas, adeoque nullam colliſionem cuilibet patebit.

r) Cujus rei exemplum præclarum nobis in ſacris ſiſtitur ab Abrahamo, qui a Deo juſſus filium ſuum immolare, de obſervatione illius ſecundariæ erga Iſaacum, non modo filium, ſed & hominem innocentiſſimum, pietatis nequaquam ſolicitus, ſtatim juſſui divino, tanquam regulæ ſuperiori, obtemperare fuit paratus, nullam ratus pietatem erga filium, alioſve homines innocentes eſſe attendendam, ſed hanc ipſam illa erga Deum pietate contineri profuſque adimpleri ſibi perſuadens. Eodem modo ratiocinari Solidiſſimum Virum G. F. Meyer. §. 166. in denen Gedancken von der Ehre, ſumma voluptate cognovi.

s) Sic multa in jure ſubintelligenda eſſe, ex natura negotiorum fluere monet ill. Bœhmer *d. methodo diſp.* pag. 96. ſeq. qua in re inſigne exemplum nobis prævivit, famigeratiſſimus ille Cicero, qui lib. III. offic. regulas honeſtatis regulis utilitatis anteferendas eſſe oſtenſurus, non in id operam ſuam impendebat, ut in concurſu harum diverſarum regularum ab utilitatis regula exceptionem faciendam eſſe demonſtraret, ſed in eo tantum fuit occupatus, ut nullam prorſus utilitatem cogitari poſſe abſque honeſtate deduceret, id quod etiam tanto acumine ingenii ac judicii effecit, ut eo ipſo illuſtre nobis reliquerit exemplum, qua ratione deciſiones quæſtionum controverſarum ſint confirmandæ abſque inſtituenda hujus illiusve regulæ exceptione, id quod cognitioni Syſtematicæ non convenire bene animadvertebat. Inter

Digitized by Google

alia, *dubitandum non eſt*, inquit, *quin nunquam poſſit utilitas cum honeſtate contendere. Itaque accepimus, Socratem exſecrari ſolitum eos, qui primum hac natura cohærentia opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita Stoici ſunt aſſenſi, ut quicquid honeſtum eſſet, id utile eſſe contenderent: nec utile quicquam, quod non honeſtum.* Atque eodem modo faciliimum foret ad demonſtrandum neutiquam pro exceptionibus habenda eſſe frequentiſſima illa: *Niſi neceſſitas aliud poſtulet, niſi utilitas, Reipublicæ aliud ſuadere videatur, niſi ſalus ſecuritasque reipublicæ aliud exigat*, quæ tamen omnia tanquam regulæ ſuperiores inferioribus tacite ineſſe per ſe jam ſunt exiſtimanda, quo etiam ſpectare videtur vulgatum illud: *Salus Reipubl. ſuprema lex eſto*, in omnibus aliis quaſi inexiſtens.

t) Ex quo apparet, quam laudabile illorum ſit inſtitutum, qui unam diſciplinam alteri tanquam fundamento ſuperſtruere nituntur, quodque accurata in omni diſciplina requirat methodus, prius deſudare in eruendis regulis ſuperioribus, exque his demum deducendis inferioribus; hoc enim majori cura hactenus ſi fuiſſet obſervatum, ceſſaret quoad maximam partem, nefanda illa, quæ Jurisprudentiæ noſtræ turpiſſimam confuſionis notam inurit, conſuetudo, qua ſapiſſime eæ regulæ, quæ huic ſunt loco *rationum dubitandi* alteri *rationum decidendi* loco ſumuntur, qua conſuetudine neſcio an aliud quidquam poſſit inveniri Jurisprudentiæ Syſtematicæ magis indecorum.

§. XXX.

N n ceſſare d ctrinam de colliſ. & except mat. deducitur.

Atque eadem diſtinctione reſpondebis b. l. ad ea quæ ex doctrina de exceptione in colliſione regularum pro parte inſtituenda objicere aliquis conaretur, qua de re tamen ſingulari exemplo te non detinebo, vereor enim ne mea, quam §§. præced. adhibui, philoſophia, jam nimia ſubtilitate laborare multis videatur, quos tamen ad illa, quæ infra (§., L. VII.) de ſubtilitate occurrent, merito remitto.

Quod reliquum eſt, doctrinam de colliſione ex exceptionibus minime relegandam eſſe cenſeo, cum utilitate ſua ac commodo plane deſtituta eſſe ipſa dici non poſſit; dantur enim

enim multæ propoſitiones univerſales, quæ vero non ſunt regulæ, (vid. §. XV.) a quibus exceptiones inſtituere non raro jubemur. Homines enim de omnibus regulas conſtituere ob arctos intellectus limites non poſſe, jam ſupra obſervavimus; (§. V. & XX.) unde quoque ſæpiſſime contenti ſimus neceſſe eſt, propoſitionibus a potiori, ut ajunt, denominationem facientibus, id quod plerumque fit, declarantibus, præſumtionemque ſolam relinquentibus, a quibus exceptiones factas rite examinare rationemque diſceſſionis a propoſitione data exponere quam maxime conducit; atque de hisce propoſitionibus intelligas velim tritum illud: ***Exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis.***

§. XXXI.

Opponunt deinde uſum hujus brocardici a doctis pariter ac indoctis frequentatum, quo factum eſſet, ut vox ***regula*** pro qualibet propoſitione generaliori jamjam ſumatur, adeoque eſſentia quaſi hujus vocis plane immutata videatur; indoctorum uſum plane intactum relinquo, doctos vero quod attinet, repono, quod, quoniam in ipſorum poteſtate, rerum vocumque eſſentias ac veros ſignificatus immutare, neutiquam ſit conſtitutum, ego ipſos hoc brocardico utentes, conſueto errori potius indulſiſſe quam veritatem ignoraſſe credam, id quod ex adhibita in allegatione hujus brocardici loquendi ratione non obſcure ſœpius eluceſcit, ut adeo hac in re non facile quemquam contra ſentientem ſim nacturus. Cum enim, ut ſupra vidimus, conſuetudo hujus brocardici minime ab eruditis, ſed ab imperitis modo in uſum introducta fuerit, non potuerunt non & doctiſſimi Viri tam in ſcriptis, quam in reſponſis ſuis, ut ab aliis quoque intelligantur, cum vulgo loqui, u) ex quo apparet, impropriam translatamque hujus vocis ſignificationem plerumque occur-

Obj. 2. Uſus hujus brocard. a multis frequentatus.

 rere

rere; atque hanc non facile adnimadvertes in illis ſcriptis, in quibus ab impropria verborum ſignificatione caute abſtinetur, ut videre eſt ex illorum libris, qui methodo ſcientifica eosdem adornarunt.

u) Quemadmodum vero nil frequentius fere animadvertimus quam quod uſus loquendi longe aliam rebus ideam, quam decet, cum vocibus connectere ſoleat, ita etiam præſentem objectionem non adeo validam eſſe, quilibet facile intelligere poteſt, idque in ſpecie circa regulas obſervandum venit, quam incongrue enim hic uſus loquendi advocetur, vel exinde apparet, quod hujus auctoritate multæ propoſitiones regularum nomine inſigniantur, quæ tamen ipſæ ab exceptionibus ſuis multitudine ſuperantur, indeque factum eſt, ut ſæpiſſime eæ propoſitiones, quæ huic exceptiones eſſe videntur, regularum loco alteri placeant, quæ cum ita ſint, quis ſolide Jurisprudentiæ ſtudens ad vulgarem uſum loquendi provocaret in propugnanda vera ſignificatione vocis: *regulæ*. Sic ſe cum vulgo ſenſiſſe, eoque inductum adeo ſe aberraſſe, ingenue profitetur ill. Leyſer medit. ſ. ſpec. 575. de pœn. miniſtr. princ. & diſſert. de pœn. ambig. n. III. & IV. ut propoſitionem illam: *Major pœna abſorbet minorem* pro regula agnoverit, quam tamen ſolide examinatam vix pro exceptione regulæ contrariæ: *Singulis delictis ſingulæ competunt pœnæ*, puncto tolerandam eſſe ſufficientibus demonſtravit rationibus.

§. XXXII.

Obj. 3. & 4. regulas fore nimis difficiles & longas.

Excipiunt porro, ſecundum meam de regulis ſententiam fieri aliter non poſſe, quam ut 1. regulæ formatu forent difficillimæ, hincque non ſperandæ, 2. nimis interdum longæ, cum tamen rem breviter, ut Paulus ait L. I. ff. d. reg. jur. narrare debeat, ut ad eo peragre memoriæ poſſint mandari. Prius quod attinet, idem ipſe jam ſupra (§. XXV.) aſſerui, ex quo tamen regulas prorſus non ſperandas eſſe non ſequitur, cum ſedula indagatione ſolertique ac indefeſſo ſtudio

in

in lucem prodierint cognitiones rerum magis adhuc abſtruſarum, in primis vero cum eximius, qui ex regulis redundat, uſus ad indagandum non parum exſtimulare poſſit doctorum animos. Poſterius objectionis membrum iterum non negarem, regulas nimirum brevitate v) quanta fieri poteſt, debere eſſe conſpicuas; Sed nec tu negabis, brevitatem in genere indeterminatum quoddam eſſe, ſed reſpectu alterius aliquam rem brevem, eandemque longam videri poſſe; Jam ipſe judices velim, utrum omnia ſingularia addiſcere debere, an regulam de hiſce ſingularibus, alia quidem regula longiorem tibi cognitam reddere ſit brevius; Ceterum quis te omnes regulas memoria tenere juſſit, fac potius ſcientiam evolvendi libros tibi adſciſcas, in quibus regulas deprehenſas obvenientibus caſibus poſſis applicare, nam & hoc modo plenariam regularum utilitatem, quamvis easdem non omnes memoria teneas, percipere tibi licebit.

v) Brevitate omnino regulas ſe commendabiles reddere, negari nequit, primariæ tamen ipſarum perfectioni eo nihil detrahi poteſt, quando prolixiore quodam ſermone proferantur, ob naturam quoque rerum ſingularium, nimis diverſo modo determinataram, id ſæpius aliter fieri non poteſt.

§. XXXIII.

Nec non ex eo quod *Leges* generaliſſime regulas dictas eſſe certum ſit, vid. Kœhler l. c. §. 345. alicui dubium oriri poſſet; cum enim Leges dicantur regulæ, w) qui tamen fieret, ut interdum privilegia, diſpenſationes idque genus alia, quæ nil niſi exceptiones a Legibus, & conſequenter a regulis continerent, reperiantur; Sed reſpondeo, ſicuti non omnes regulæ leges dici proprie poſſunt, ita pariter omnes Leges, regulas appellari, non merentur. Quod ſi intuearis exempla a celeb. Kœhlero l. c. prolata, animadvertes, *Obj. 5. Leges ſæpiſſime dici regulas.*

 nullam

Digitized by Google

nullam ex his LL. aliquam exceptionem admittere, uti quoque nunquam deprehendes privilegium a Jure Nat. contra ſuas leges conceſſum; illæ itaque LL. contra quæ privilegium produci poteſt, nomine regulæ neutiquam dignæ; Sicuti enim regula & lex diverſæ ſunt quoad voces ita etiam notiones, utrique harum vocum reſpondentes a ſe invicem diverſa ſint neceſſe eſt. Poſſem quoque ad præſentem objectionem hoc modo reſpondere: Continere nimirum omnes leges tacitam hanc conditionem: Niſi in hoc vel illo individuo Legislatori aliud placuerit, id quod eo liberius ſubintelligi licet, quod multæ leges hac clauſula munitæ depræhendantur.

w) Putat quidem Vir doctiſſimus jam nominatus §. 347. Legibus tanquam ſpeciei regularum excellentiori generis nomen tributum eſſe, ex iis autem, quæ ego de regularum vera natura adſtruxi, ſatis liquet, non ſemper Leges tanquam regularum ſpecies poſſe conſiderari, hinc, quod regulæ dictæ ſint leges, a potiore factum eſſe defendere mallem.

§. XXXIV.

Obj. 6. regulas in Jure formari non facile poſſe.

Ad Jurisprudentiam in ſpecie quod attinet, contra hactenus a me defenſa regerere ſolent, Mathematicos quidem ac Philoſophos aliosque hujus chori in formandis regulis deſudare debere, Jurisconſultos vero qualibet propoſitione generaliori contentos eſſe poſſe, accedere nimiam de legibus civilibus, tanquam rebus voluntariis conficiendi regulas difficultatem. Avidus ſane adhuc fuit privilegii x) illius inſpiciendi, in quo vere JCtis facultas & permiſſio a formatione regularum abſtinendi conceſſa deprehenditur, quod, cujusque legitimam interpretationem quamdiu mihi non oſtenderis, pro ſub & obreptitie, ut ajunt, ignorantia ac ignavia patronis, impetrato iſtud exiſtimabo. Nullus ſcientiæ

entiæ leges ad facta adplicandi vere ſtudioſus facile illud arripiet. Regulas ceteroquin in ſyſtemate Juris præ aliis diſciplinis formatu eſſe difficiles, nec ego diſputarem, idem confitetur Byncкershœck, vir acutiſſimus, in præf. ad obſ. jur. Neminem tamen ſcio, qui earundum formationem impoſſibilem eſſe legitime demonſtraverit. Conantes ſolertia juvabit, abſint a promotione Litterarum, qui laboris difficultate deterreri ſe patiuntur. *Laboremus* inquit Noodtius in fine diſſ. d. cauſ. corrupt. Jurispr. tanquam ſignum hanc vocem cuilibet Jurisprudentiæ purioris acclamitans cultori.

x) Solent quidem pro ignavia ſua obvelanda confugere ad L. 202. d. R. J. ubi *omnem definitionem in jure civili periculoſam, rarumque eſſe, ut ſubverti non poſſet,* Javolenus monet, nec inconcinne ad hanc L. provocari ipſe arbitror, quatenus nim. ſub definitionis voce regulam indigitari ajunt. Conf. omn. Ev. Otto in Papiniano c. XII. §. IV. ubi definite veteribus JCtis nihil aliud eſſe quam regulas ſtatuere, late demonſtrat, Tantum autem abeſt, ut hæc lex prætenſum illud JCtis conceſſum privilegium continere debet, ut potius ad eo majorem circumſpectionem ac curam adhibendam animos JCtorum exſtimulare velle mihi videatur.

§. XXXV.

Solent ſcripta dictave, utilitate, quam præſtant æſtimari, quæ igitur ex hactenus dictis ſpetari poſſit utilitas paucis adhuc adjiciamus. Vera enim regularum natura ſuppoſita ceſſabit nimia tam docentium quam diſcentium ſecuritas, illi enim non facile aliquam propoſitionem pro regula venditabunt, niſi eandem antea protali expertam, quid quæſo, frigidius illo: Doctor quidam Juris in Catalogo lectionum publicarum ſe methodo quam facillima, per regulas nimirum, traditurum eſſe præcepta Juris promittebat, inſuper *Uſus ex hactenus dictis quis ſperandus.*

poteſta-

poteſtatem ſui adeundi faciens, ſi forſan contra univerſalitatem principiorum quædam ſuborientur dubia, quibus, ut eo ſolidius animis evellerentur, biduum poſt factam eorum notitiam deſtinatur, ſuboritur cuidam ſtudioſo dubium univerſalitatem principii alicujus infringens, Doctori communicatur, biduo elapſo reſponſio fit doctiſſima: *Nulla regula ſine exceptione.* y) Hoc ſi eſt docere per regulas, hoc ſi eſt dubia evellere, ſummi ego Doctoris munus obire non vereor. Ceſſabit porro nimia confidentia diſcentium ita ut non facile ſibi imponi ſint paſſuri, hactenus probatis regulis maxime diffidentes, cum adeo, quod abſurdiſſimum eſt, inter illas multæ deprehendantur, quarum exceptiones & ipſas regulas ſuperare jam ſupra (§. XXXI. in not.) obſervavimus quid, quod dentur propoſitiones huic pro regulis alteri pro exceptionibus habitæ. Ceſſabit non minus nefanda multorum Advocatorum temeritas, quos adeo illo uti contra adverſarii intentionem, etiam nulla oſtenſa exceptione, non puduit; Ceſſabit, ut paucis exponam, Aſylorum ignorantiæ inter brocardica princeps.

y) Ejusdem farinæ eſt temerarius ille dubia diſſolvendi modus, quo non ita pridem uſus eſt contra ill. Leyſerum, virum laudes meas non expectantem, quidam Doctoris gradum aſſumens J. W. Schrœder diſſ. inaug. d. *Juribus Mulierum in concurſ. credit.* qui §. ſuæ diſſ. poſt allatam aliquam concurſus definitionem hæc ſubjungit pro rectitudine ſuæ definitionis: *Nam quæ contra hanc definitionem monuit dn. Aug. a Leyſer. ſpecimine* 478. *med. ad* π. *med.* 2. *p.* 461. *ſeq. ad exceptionem pertinent, hæc autem firmant regulam in caſibus non exceptis.* Hoc modo ſi licet reſpondere dubiis adverſus definitiones Juris uſurpatis, non video quam periculoſum ſit easdem formare.

§. XXXVI.

De utilitate ex hactenus dictis in Jurisprudentiam redundante.

Quam ſingularis nominatim in Jurisprudentiam ex hactenus a me prolatis redundet utilitas, cuilibet facile patebit mecum

mecum conſideranti, ex defectu maxime regularum vere talium incertitudinem juris, de qua tot juſtiſſimæ querelæ, oriri, exindeque apparet, quanta reformatione totus Tit. ff. d. R. J. indigeat. Quanta e contrario certitudo, quanta litium deminutio ex Jurisprudentia per univerſum regulari, z) ſperari poſſet, nemo non videt. Quæ cum ita ſint, veniam a te, H. L. me impetraturum eſſe confido, quod refutationi unius brocardici tam diu immorari te voluerim, idque eoque magis ſperare poſſum, quod multa annotaverim, ad quæ in ſequentibus provocare me ſtudium brevitatis jubebit.

z) Atque hanc, tanquam ad emendandum confuſum, qui hactenus fuit, juſtitiæ habitum, neceſſariam commendat celeb. O. H. Hinüber p. III. Dicaſt. §. 420. his verbis. Das allermeiſte kommt dabey an, auf gute Generalia und Univerſalia, das iſt ſolche Sätze, die alſo abgefaſſet, daß ſie durch keine Inſtanz infringiret, und alſo ad ſpecialia ohne ampliationen und limitationen richtig appliciret werden können ꝛc. qui idem practicabilitatem hujus medii oſtendere in ſequentibus in ſe recepit. p. IV.

§. XXXVII.

Sicuti non inepte, omnium *diſciplinarum animam*, *methodum* cum Platone nominaveris, adeo ut vix cujusdam diſciplinæ, aliqua tractatio absque methodo concipi poſſit, nec non ex methodo qua quis utitur, de eruditionis gradu, ejusdem judicari ſolent, ita omnium methodorum poſſibilium mathematicam præſtantiſſimam, naturæque humanæ convenientiſſimam eſſe, neminem facile contradicentem ego nanciſcar. vid. ill. Senckenberg d. Jurisprud. certa methodo tract. §. VI. Quandoquidem vero hæc methodus ante hoc ſeculum Mathematicis ſolis propria eſſe videbatur, ita nondum obſoleta eſt quæſtio: Num & in reliquis *Brocard. 11. Methodus eſt arbitraria.*

 diſci-

diſciplinis extra Matheſin hæc methodus utilitate præ aliis ſe commendare poſſit? Cum autem hæcce methodus tam docentium ſoliditatem ac eruditionem non vulgarem, quam diſcentium alacritatem attentionemque deſideret, quæſtionis propoſitæ negatio ignorantiæ ac inertiæ utrorumque reſpondebat, id quod ut eo ſpecioſiore fuco facere poſſent, *methodum arbitrariam eſſe*, nec qua quis utatar permagni intereſſe prætendunt, quatenus itaque quæſtio propoſita ſpeciatim in Jurisprudentia affirmari poſſit vel negari, paucis pro inſtituto noſtro, ne nimirum ejusdem negatio aſylum ignorantiæ evadat, diſpiciamus.

§. XXXVIII.

Adducitur multorum virorum pro methodo mathem. conſenſus.

Expoſuerunt autem ſuper hac re ſententiam ſuam viri doctiſſimi, ad quorum ſcripta lectorem cupidum remittens, ex iisdem ſuccinctam pro affirmanda hac quæſtione demonſtrationem me ſubnectere conſtitui, id quod ad redarguendos ignorantiæ defenſores, inſtituto meo convenienter, ſatis eſſe duco. Affirmarunt autem hanc quæſtionem Weigel in *præfat. ad Philoſophiam Mathematicam.* Leibnitz de *methodo nova diſcendæ docendæve Jurisprudentiæ* ill. Wolffius in *Hor. ſubſec. a.* 1731. *ſpec.* 2. *trim. brum. & ſpec.* 2. *tr. æſt.* vid. in *ejusd. præf. ad diſſ. Nettelbladtii celeb. de Jure Imperat. vicar. & elect. circa quæſt. An? in elect. Reg. Rom.* ill. Cramerus in *variis ſpeciminibus*, excell. Schierſchmid in *præf. ad Elem. Jur. civ. method. demonſtrat. conſcr.* Wagner in *præf. ad Reſolut. Pandect. method. demonſtr. adornatas*, vid. etiam exc. J. Heumannum in *Explanatione antiqui Codicis Juris Bavar.* cap. I. §. VII. ad fin. Ex profeſſo quoque haud ita pridem lingua germanica hanc quæſtionem tractavit Anonymus quidam ſingulari ſcripto, cui titulus: Beweiß, daß ſich

das Römiſche Recht demonſtriren laſſe, ob commiſſum vero in demonſtratione ſua lapſum, ipſam demonſtrationem non adeo tangentem, alii Anonymo, Auctori illius, cui rubrum: Gründlicher Beweiß daß der Autor des Beweiſes ꝛc: Danck verdiene, ſibilo quidem exceptus fuit, interim ea, quæ ad ſtabiliendam ipſius ſententiam, quod nim. methodus mathematica in Jurisprudentia adhiberi poſſit, præcipuè faciunt, firmo niti talo, negare nemo conabitur.

§. XXXIX.

Jurisprudentiam methodo mathem. tractari poſſe aſſeritur.

Demonſtrativa methodo tunc diſciplinam aliquam tradi dicimus, quando ex indubiis principiis legitimo nexu eadem deducitur. Nunc, pro aſſerenda Jurisprudentiæ noſtræ methodo demonſtrativa, ſequenti ratiocinio utar. Quæcunque diſciplina ex indubiis principiis legitimo nexu poteſt deduci, illa methodo demonſtrativa tradi omnino valet, nunc ego ſubſumo: Jurisprudentia ex indubiis principiis deduci poteſt legitimo nexu, non poſſum igitur quin Jurisprudentiam methodo demonſtrativa tractari poſſe concludam. Brevis & ſuccincta eſt hæc pro vindicanda Jurisprudentiæ methodo laudata aſſertio, cujus veritatem ex veritate omnino præmiſſarum pendere video, has igitur ſi veras eſſe oſtendero, de concluſione non ero ſollicitus num concedere quis velit, annon. Majoris propoſitionis veritatem idcircò neminem in dubium vocaturum eſſe arbitror, quod nil niſi veram contineat definitionem; omnis igitur mei ratiocinii vis atque valor veritate propoſitionis minoris nititur, ad quam ſtabiliendam igitur me accingam opportet. aa)

aa) Duobus hæc propoſitio minor conſtat membris, altero, quod ex indubiis principiis, altero quod legitimo nexu poſſit deduci Jurisprudentia; prius in ſequentibus adſtruere conabor, de Poſteriore

riore vero lectorem ſollicitum ego ob brevitatis ſtudium remitto ad jam cit. Anonymi gründliche Beweg. daß ſich das Röm. Recht demonſtriren laſſe qui hocce membr. ſufficientibus rationibus jam confirmavit.

§. XL.

Diverſæ Jurisprudentiæ ſpecies proponuntur.

Jurisprudentia eſt vel *naturalis* vel *poſitiva*. Jurisprudentiam naturalem ex indubiis principiis deduci poſſe, nemo hactenus niſi methodi hujus plane imperitus, negare eſt auſus; ipſe hoc implicite concedit adverſantium facile princeps G. H. Elend. *medit. ad quæſt. utrum methodus demonſtrativa ſ. mathematica in Jurisprudentia poſſit adhiberi* §. 111. & quod optimum eſt, extant doctiſſimorum virorum ill. Wolffii, Kœhleri, Schierſchmidii aliorumque egregia Jurisprudentiæ nat. ſyſtemata hac methodo adornata. Sed propiora aggrediamur Jurisprudentiam nimirum poſitivam, num igitur Jurisprudentiæ poſitivæ ſpecies, Jus publicum, Jurisprudentia Romana, Germanica, Saxonum, Holſatorum, Lubecenſium &c. methodum hanc admittant, contemplemur.

§. XLI.

Omnes Jurisprudentiæ ſpecies indubia quadam principia poſſident.

Singula hæ enumeratæ Jurisprudentiæ ſpecies, Juris civilis univerſalis ſpecies eſſe, nemo, qui, quid jus civ. univ. quidque genus & ſpecies ſit, non ignorat, diffitebitur. Jus civ. univerſale autem cum contineat leges naturales ex imperio ſummo in genere ſpectato determinatas, omnes ſub eo comprehenſæ ſpecies leges quoque naturales contineant neceſſe eſt, quæ vero pro diverſa cujuslibet Reip. forma diverſe ſunt determinatæ, atque hoc eſt quod Imperator ait L. 6. pr. ff. d. J. & J. addendo enim vel detrahendo Juri naturali Jurisprudentia civ. ejusdemque ſpecies exortæ ſunt, pluresque poſſunt exoriri. Leges autem naturales cum prin-

cipia

cipia contineant indubia conſequum eſt, omnes ſpecies Jurisprudentiæ civ. quatenus leges nat. continent, indubia continere principia, ex iisque eatenus easdem methodo demonſtr. poſſe deduci. Reliquæ autem ſingularum Jurisprudentiæ ſpecierum determinationes num ex principiis indubiis poſſint deduci, alia quæſtio eſt jam decidenda.

§. XLII.

Facta, politicæque rationes pro indubiis principiis poſſunt haberi.

Iſtas autem Jurisprudentiæ alicujus determinationes, quæ non ex Jure nat. deſcenderunt, ex hiſtoria politicisque cujuslibet ſpeciei rationibus natas eſſe, nemo eſt, qui ignorat, hiſtoriam autem factis conſtare, facta vero inter principia indubia per ſe non poſſe referri iterum non ignoro. Cum autem omnis Jurisprudentia individualis ex politicis ſuis rationibus & hiſtoria in iis, bb) quæ non ex Jure civ. univ. poſſunt determinari, determinari debeat, hæcque determinatio ex illis præſuppoſitis fiat neceſſario, idque auctoritate principii determinationis prædicati, (quod eſt principium indubium, mathematicæque doctrinæ non abſonum vid. diſſ. *d. h. princ.* exc. Schierſchmid,) cum porro ea quæ vera ſunt, neceſſarioque ſequuntur, ex indubiis principiis fluant neceſſe ſit, quodlibet Jurisprudentiæ ſyſtema ex indubiis principiis poſſe deduci concludo.

bb) Rectiſſime quidem monet Dn. Elend. §. III. l. c. hiſtoriam politicasque rationes non eſſe rationes neceſſarias, hinc quoque methodo demonſtrativæ non aptas, ſed repono, hasce in ſe conſideratas abſolute neceſſarias quidem non eſſe, neceſſarias autem omnino ad individuandam quamcunque ſpeciem Jurisprudentiæ, atque ita, ut absque his neque quælibet ſpecies ab altera differret, nec non ut ex ipſis diſpoſitiones cujusvis Jurisprudentiæ ſpeciei neceſſario effluxiſſe demonſtrari poſſit: quando igitur de methodo mathem. in Jurisprud. adhibenda exoritur quæſtio, neutiquam Jurisprudentia conſideranda eſt, tanquam *inglomerabilis*

Digitized by Google

cinnus ex Romano-Juſtinianeis, Pontificum, Longobardorum, ipſorum denique ſtatuum imperii noſtri legibus congeſtus, ex eoque Syſtema Jurisprudentiæ methodo laudata efformandum, ſed ſingularum ſpecierum ſingula ſyſtemata elaboranda. Alia principia enim neceſſaria ſunt Juris Rom. alia Jurisprudentiæ germanicæ generatim ſpectatæ, alia iterum Saxonum, Holſatorum, Lubecenſium &c. ex cujusque hiſtoria rationibusque domeſticis determinanda, conf. h. l. ea quæ de regulis ſupra aſſerui (§. XXIII.) Quod ſi quæras, qnodnam Jurisprudentiæ ſyſtema ſtudioſi ſint docendi, hoc parum mea refert; quisque eorum ipſe ſecum conſtituat, quid quotque eorum cognita ſibi reddere debeat; nefandum hactenus fuit oſtentandæ magnæ eruditionis medium immiſcere ſuæ doctrinæ modo aliquas propoſitiones ex Romanorum, modo ex Canonum aliusve Jurisprudentiæ individualis, ſyſtemate prolatas, iisque Auditores ſuos refertos, multiſciosque dimittere, id quod ſatis jam redarguit ill. d. Senckenberg præf. ad corpus LL. §. 39. 40. 41.

§. XLIII.

De imitanda methodo mathem. in Jurisprudentia.

Et eſto, meam pro methodo mathematica Jurisprudentiæ adoptanda, ratiocinationem examinis rigorem non ſuſtinere, (*) non eſt, quod glorientur ignorantes, ſibique patrocinium in jam laudata diſſ. Dni. Elend. præſtitum eſſe credant. Fac enim non omnia poſſe in Jurisprudentia pari methodo deduci, minime tamen ab adhibenda methodo demonſtrativa te abſolutum eſſe crede, legas modo quæ ipſe vir doctiſſimus §. VII. diſſ. cit. te monet, *Habet* inquit, *hæc methodus maximam utilitatem, & longe ſuperat eam, qua nil niſi theſes ſine connexione, ſine definitionibus lectori & diſcenti objicitur. Imitemur ergo in Jurisprudentia tradenda Mathematicos.* Difficultatem forſan iterum ſi mihi objicias, ad ea te amitto, quæ ſupra jam repoſui (§. XXXII. & XXXIV.) idque eo majori Jure meritoque, quod non ſolum complures ſingulares materias juridi-

cas

cas hac methodo a viris doctiſſimis deductas poſſideamus, ſed etiam integra Jurisprudentiæ civ. ſyſtemata hac methodo exornata in lucem jam prodierint, uti teſtantur, Exc. Schierſchmidii, Præceptoris mei nunquam ſatis colendi, ***Elementa Juris civilis Juſtinianei***, Wagneri ***Reſolutiones Pandectarum methodo demonſtr. adornatæ***, a quo quatuor libri priores *. jam editi, reliqui vero expectantur. cc)

(*) Nolim vero putes, diffidentia quadam hæc a me fuiſſe prolata, nulla enim alia ratione adductus hæc propoſui, quam quod demonſtrationis vocem, rigore ſuo ſumtam non recte ſatis, quibuscunque, quæ in Jurisprudentia aliisque diſciplinis fieri ſolent, demonſtrationibus, applicari poſſe didicerim, proprie enim loqui ſi quis velim, omnino rectiſſime ſe habent, quæ vir ſanctiſſimus M. A. Ramſey adfert dans la nouvelle Cyropedie pag. m. 182. not. a. Une *demonſtration,* ait, ſuppoſe l'idée contradictoire inpoſſibile; une *preuve* de fait eſt, ou toutes les raiſons portent à croire, ſans qu'il y ait aucun pretexte de douter. Une probabilité eſt, ou les raiſons de croire ſont plus fortes, que celles de douter. Interea demonſtrationis vocem non ſemper hoc ſenſu ſumi ſcimus, ipſeque concedit Dn. Elend. §. IV. l. c.

cc) Fuere quidem plures, qui tota ſyſtemata hac methodo conſtruere inſtituerunt, quoniam vero ſufficiente rigore id non præſtiterunt, omnes enumerare ſuperſedeo, hacque occaſione pro *rigore* hujus methodi quædam adferre lubet; equidem methodum mathematicam adhibitam dici poſſe, quamvis ***propoſitiones identicæ pluries repetitæ, theoremata, problemata, axiomata, Corollaria, Scholia &c.*** non adeo curioſe ſejuncta proponantur, interim non laudare poſſum, quando in illos, qui hæc invicem ſollicite ſepoſita in ſcriptis ſuis annotarunt, ab aliis indiſtincte irriſorio ſtylo perſtringi deprehendi; quoniam enim ſollicita harum propoſitionum repetitio ac diſtinctio non ſolum eruditionis gradum deſiderant, ſed etiam utilitatem lectori auditorive præſtant, eo quod hac ratione quam citiſſime poſſit lapſus in demonſtrationibus admiſſus obſervari, neutiquam pedantiſmum ſive Charlataneriam ſemper ſubeſſe credendum eſt. Tunc *pedantiſmum*, tunc *Charlataneriam* adeſſe ſuſpicor quando magis de harum propoſitionum enumeratione

ratione & denominatione ſollicitum aliquem videam, quam de re ipſa tractanda; Auribus illud injucundum eſſe ajunt, ſed aliud mihi videtur de oratoria elegantia atque euphonia, aliud vero de veritate ſtabilienda ſollicitum eſſe, eccur enim hæc auribus tam injucunda in Mathematicorum Schola ferre te non tædet? num magiſte delectant iſta A a Metμ, erit μ: m-A: a & ſimilia, neminem autem adhuc inveni, qui hæc in mathematicis irridere ſit auſus. Sane miror viros quosdam, eosque non indoctos contra hunc rigorem ab aliis adhibitum ſubſannare ſolitos eſſe, profecto non intelligo, quomodo hæc inter ſe congruant, quando nunc de incertitudine Juris tot querelas fundas, nunc ſine mathematico rigore ſententias Legum erui permittas; ecquid quæſo mathematicæ diſciplinæ illuſtrem illam certitudinis famam conciliavit? Non diſtincta illa propoſitionum tractatio atque diſpoſitio? Imo multi ſunt doctorum, ſemper medium quoddam ingrediendum ſubtilitatesque evitandas commendantes, qua ſpecie multos, tanta perſpicuitate non præditos, ut diſtincta ſua proponere valeant, ſe excuſaviſſe deprehendi eo, quod ſollicita iſta quarumvis propoſitionum denominatione non ſit opus, aut nimia iſta methodi ſcientificæ ſubtilitate uti ipſi noluerint, quo facto plurima confuſe tradere non dibitarunt; quæ mea igitur de rigore ſcriptis ſuis adplicato ſit ſententia, ſatis elucet, a qua nec me dimoverunt ſannæ illæ ac irriſiones quibus multi, rationibus quidem ſpecioſis non deſtituti, alios indiſtincte proſequuntur.

§. XLIV.

De Uſu method. mathem. in praxi.

An in praxi uſum ſui amittat methodus demonſtrativa, ii, qui omnem Juris Theoriam ex utilitatis in praxin redundantia æſtimare ſolent, avide requirunt. Equidem cum Advocatorum præcipuus labor circa imputationem facti verſetur, Judicum vero Leges demonſtratas ad facta applicandi officium ſit, haud ita inſignem hujus methodi in praxi utilitatem quis deprehenderet, interim ubi deductiones Juris, interpretationes Legum idque genus alia elaboranda occurrunt, methodum hactenus Jurisprudentiæ vindicatam uſu ac utilitate

utilitate ſua in praxi non prorſus deſtitutam eſſe ego defenderem. vid. exc. Schierſchm. *præf. ad Elem. J. C.* it. Auctor des gründlichen Beweiſſes ꝛc. in *præf.* quædam ſpecimina hac de re proferre promiſit, quorum inſpiciendorum me, praxeos adhuc inexpertum, cupidum profiteor. Quam fallaci igitur nitatur fundamento conſuetum illud; *Methodus eſt arbitraria*, Satis ſuperque ex modo dictis pateſcit, id quod etiam obſervavit modo laudatus Dn. Auctor §. 51. ſeq. Permulta ſunt, quæ contra ea, quæ modo aſſerui a doctis pariter ac indoctis obmoveri ſolent, quæ ſingulis brocardicis ſingula propoſita jam examinare conſtitui, ita tamen, ut quæ tumidæ illius ignorantiæ Patronis dixero, doctorum Virorum dubiis a me repoſitum eſſe credere nolis.

§. XLV.

Obmovent hinc famoſam illam Pandectarum legem: *Non omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.* Jam multis hanc legem *pontem aſinorum*, ac Thomaſ. §. 14. Diſſ. d. arrh. emt. *ignorantiæ ac affectatæ cujusdam umbratilis ſapientiæ Aſylum dictam eſſe memini.* Præterea quoque jam diu obſervarunt doctiſſimi ad h. l. commentatores Zaſius ad h. l. Perez. ad Cod. d. LL. n. 19. Bachov. ab Echt. in πρωτ. ad ff. ad h. l. p. m. 139. eſſe hanc legem intelligendam de judice, de ſubditis, aliisque quibus ſecundum leges datas judicandi actionesve ſuas inſtituendi cura incumbit, neutiquam vero de iis, quibus legum interpretandarum poteſtas eſt conceſſa, Jureconſultis nimirum, eleganter hac de re ſermocinatur Quiſtorp d. origine & indole votorum elect. in maj. el. ſan. §. XI. n. d. Intelligit hanc legem *de ratione civili, non de naturali, aut ea quæ per juſtam conſequentiam ex ipſis rerum argumentis erui poteſt*, Wagner in reſolut. ad ff. h. l. Effrenam ego

Brocard. III. Non omnium, quæ a majoribus &c.

 ignoran-

Digitized by Google

ignorantium temeritatem non ſatis poſſum demirari, ut, quarum rerum cauſas ac rationes ipſi ignorant, alios eruere poſſe pernegare ſoleant; Quamdiu igitur hujus illiusve Juris, capitis nullam a quovis prorſus rationem dari poſſe rite non demonſtrant, tamdiu invalidiſſimum contra methodum mathematicam Jurisprudentiæ applicandam effugium in hac lege confidere ego exiſtimabo, prius igitur illud ab ipſis ſumma attentione expectare volo. Plura addere me tædet, ſubjungo itaque quæ Thomaſius monet in Diſſ. de occaſ. concept. Conſtit. crim. Carol. §. 1. n. a. *Olim quidem tempore Gloſſatorum multum valebat. L. non omn.* ff. de leg. *quod non omnium poſſit dari ratio, item L. 12. §. 1. qui & a quibus manum. lib. non fiat, quod dura dd) ſit lex, ita tamen ſcripta, tanquam in magna veterum paupertate & carentia notitiæ Hiſtoricæ de LL. circumſtantiis, occaſionibus, cauſis. At hodie (multo magis noſtris futurisque temporibus (merito intempeſtivus illarum LL. Uſus inter Aſyla ignorantiæ referri ſolet*; Atque ſimili modo de L. 21. ff. d. LL. noſtram legem inſequente, ex jam dictis facile judicari poteſt, quid de ea ſit ſentiendum. vid. Bœhm. de ſentent. in rem judic. non tranſeunt. §. 34.

dd) Tantum abeſt, ut ego *leges duras* methodo demonſtrativæ obſtare cum Dno. Elend. §. III. Diſſ. c. crederem, ut potius hac methodo admiſſa plures leges duras exorituras eſſe alicui videri poſſit, poſitis enim principiis duris non poſſunt etiam non prodire dura principiata: Sed ſalva in utroque caſu res eſt: aut enim leges una cum ſuis principiis duris alicui judici non attendendæ æquitasque præferenda præſcribitur, aut minus. Priori caſu leges tanquam nullæ conſiderandæ ſunt, altero caſu vero principiis inhærendum, nonne alterque modus methodi mathematicæ erit patientiſſimus, ipſorum vero principiorum durities ex Hiſtoria Juris deducenda venit. Probe itaque ſejungenda ſunt iſta Jurisprudentiæ Syſtemata, quæ æquitatem præ legibus ipſis obſervandam commendant, (quo caſu nulla lex

contra

contra æquitatem lata eſſe videri debet conf. §. XXIX. ſup.) ab iis, quæ principiis ſuis inhærere jubent, neutiquam vero hoc Syſtema Jurisprudentiæ, cum altero commiſcenda, qua in re peccaſſe Dominus Elend mihi videtur, vid. quæ ſupra hac de re annotavi (§. XLII. not. bb) Nihil jam moneo de imaginaria illa, quam ſibi ſæpiſſime ignorantes fingunt, legum duritie, apparentes regulas magis attendentes quam veras (conf. §. XXVIII. not. p. ſup.) Sic nullam duritiem in illa lege, quam Dn. Elend. l. c. profert, agnoſcit conſultiſſimus noſter Hertius Diſſ. d. hered. occiſ. vind. Sect. II. §. III. Idem quoque de *æquitate* obſervarunt viri doctiſſimi, inter quos præcipue legi merentur Linckius argentorat. d. *æquitate*. Thomaſ. d. *æquitate cerebrina*. *Recurrere ad æquitatem aliquam ſingularem, ultimum refugium eſſe ſolere eorum, qui nervum rei & negotii tangere neſciant*, appoſite monet ill. Bœhm. Diſſert. d. *interpret. fac. contra eum, qui clar. loqu. deb.* §. 29.

§. XLVI.

Contra poſſibilitatem inprimis *Definitionum Juridicarum*, methodo mathem. maxime inſervientium allegare ſolent L. 202. ff. d. reg. Jur. *Omnis definitio in Jure civ. periculoſa, parum eſt enim, ut non ſubverti poſſit.* Propriam hujus legis ſententiam de regulis eſſe jam ſupra (ad §. XXIV. Not. X.) obſervavimus, quatenus vero pro infringenda definitionum in Jure poſſibilitate ignorantes eo utantur, anque ipſorum inſcitiæ patrocinium præſtare poſſit, diſpiciamus. Definitiones, vere tales intelligo, uti in genere ita in Jurisprudentia ſpeciatim difficiles eſſe formatuque periculoſas, ego conceſſerim, quamvis nulla contra me ex Corpore Juris citata fuerit lex, ſed, quæ eſt ipſorum cauta induſtria, ſine lege loqui nolunt. Quid vero abſurdius illo quo Dithmarſ. in Syſtem. polit. pag. 5. utitur. *Ex ſchola Juriſconſultorum axioma eſt. Omnis definitio eſt periculoſa*, quaſi vero Juriſconſultorum eſſet axiomata de formatione definitionum conficere ſed pergit: *ergo definitio* *Brocard. IV. Omnis definitio in jure periculoſa.*

 politi-

politices eſt periculoſa, & per conſequens politica definiri non poteſt. Egregia ſane conſequentia.

§. XLVII.

De difficultate definitionum juridicarum.

Simillimo tamen modo contra formationem definitionum Juridicarum inſurgunt non pauci, nunc difficultatem nunc defectum realitatis definitionum opponentes, ſed ad difficultatem quod attinet, eadem quæ de difficultate regularum formandarum jam ſupra (§. XXXII. & XXXIV.) attuli, repetere hic nolo, tantummodo addens definitionum magnum jam numerum ope doctiſſimorum virorum ill. Bœhmeri, Heineccii, Schierſchmidii, Wagneri aliorumque proſtare, ut adeo de definitionibus ſecundum Logices quoque ἀκρίβειαν ee) efformatis in poſterumque formandis ſpes effulgeat non inanis. *Realitatem* vero definitionum deeſſe monent, idque ob mutabilitatem Juris, ſed ego definitiones nominales quoque ſufficere ſtatuo, ne vero in Logomachiæ vitium incidamus, iſtam negotii alicujus definitionem ſufficientem aſſe arbitror, quæ ejusmodi caracteres ſuppeditat, quibus definitum negotium omni tempore ab aliis negotiis poteſt diſtingui. Hoc vero ſi quis fieri non poſſe ob mutabilitatem Juris aſſereret, ego id negarem prorſus ac pernegarem. Eo enim ipſo quod negotii alicujus per leges exorta eſt nova forma, nil niſi alia ſpecies generis eſt determinata. Sicuti vero perabſurdum foret, ſi genus ob mutabilitatem ſpecierum, ſpeciesve ob mutabilitatem generis definiri non poſſe quis ſtatueret, ita negotia juridica, mutationibus obnoxia, eatenus omnino definiri poſſe, quatenus per LL. eorum ſpecies ſunt determinatæ, quis dubitaret? Sic multa in Syſtemate Jurisprudentiæ Rom. immutata eſſe novimus, quæ tamen ope hiſtoriæ tanta diſtinctione partim jam ſunt propoſita, ut temporibus non ſolum ſed & nominibus ſuis multa internoſcantur. Mutabilitatem Juris

obeſſe,

obeſſe, ut de futura Juriſprudentia neminem certum reddere queas, concedo, ecquis vero Juriſprudentiæ futuræ Syſtema ſpeciale a te unquam excivit?

ee) Neſcio profecto, quale ſibi de non obſervandis, in formatione definitionum juridicarum, regulis Logices multi (interque eos viri alias accurati) fingant privilegium, aut enim veras genuinasque definitiones, definitionumque uſum præſtantes, efformare quis proponit, aut minus. Priori caſu ſecundum regulas a Logicis præſcriptas easdem eſſe formandas ex qua ratione diſputare poſſint neſcio; poſteriori vero nec notiones illas definitionum nomine inſigniant velim, ſimulatam alias non veram Philoſophiam affectare ipſi non poſſunt non videri. Quod reliquum eſſet, definitiones illas, quas Corpus Juris ſuggerit, non eſſe hoc nomine ſemper dignas, nemo facile in dubium vocabit, vid. omn. Leyſer medit. ad π. ſpecim. 1.

§. XLVIII.

Et *Antinomias* in Corpore Juris occurrentes methodo in Juriſprudentia adhibendæ obſtare non pauci arbitrantur: antinomiæ veræ in Corpore Juris num deprehendantur, ego in præſenti, cum mea parum referat, ob doctiſſimorum Virorum de hac quæſtione in utramque partem allatas rationes decidere non audeo, hoc tantummodo dicens, malle me, ſi res ita ferret, partim ob latinæ linguæ plenioris uſus ff) partim cognitionis in Jure antiquiſſimo ſufficientis defectum, me ignorare confiteri, quam ad antinomiæ velamen recurrere, idque magis; quod numerum antinomiarum toto die decreſcere videamus, cum econtrario, contradictionibus palam admiſſis, ignorantiæ ignaviæque, ad antinomiarum exiſtentiam recurrentibus portus nunquam non ſit apertus. Poſſent quidem præterea multa contra exiſtentiam antinomiarum adduci, ſed otia nobis hac in re fecit Dnus. Autor des gründlichen Bew. §. 34. & ſeq. Sed fingas, dari ejusmodi contradictiones, nusquam tamen, quam in Digeſtis

Brocard. V. Antinomiæ in Corp. J. occurrunt.

geſtis deprehendi illas defendi poteſt; in his vero quodſi occurrerent, quis miretur? cum in iis plurium Jctorum diverſiſſimarum Sectarum placita ſententiasque collectas eſſe ſit notiſſimum; inter hos igitur antinomias poſſe occurrere, quid eſſet, ſi concederem. Me profecto, methodum demonſtrativam Jurisprudentiæ applicaturum, illæ non deterrerent, quo minus id ſuſtinerem; Quis enim ſana mente præditus, ſingulorum veterum Jurisconſultorum ſingulas opiniones methodo demonſtrativa explicare, hanc methodum Jurisprudentiæ aſſerturum juberet? Jurisprudentiam tanquam Syſtema propoſiturus hunc illumve veterum Jurisconſultorum, ſectario ſæpiſſime pruritu alteri contradicentem, æque parum curarem, ac hodierni cujusdam in alia diſciplina veritati adverſantis diſſenſum. Inter diverſe ſentientes non quid dictum, ſed quod dicendum, eligerem demonſtrandum gg.) Neſcio mehercule, cur Dn. Elend. l. c. tantopere urgeat Pandectas, eorumque leges; jure meritoque in eos, qui Pandectas, loco Syſtematis Jurisprudentiæ Romanæ docendis obtrudere ſtudent, invectus eſſe mihi videtur ill. de Senckenberg præf. ad Corpus L. §. 38. ſeq. ſic Jurisprudentiam, uti in elementis J. C. Excell. Schierſchmidii propoſita eſt, pro Syſtemate Juris civ. methodo demonſtrativa adornato, habere nullus dubito.

ff) Egregia hujus rei exempla inter alios exhibuit celeb. L. A. Hamberger comment. de utilitate ex humanioribus lit. in Jurisprud. ſtud. cap. qui plura adduxit loca, quæ a doctiſſimis Viris ſibi invicem contradicere ſunt credita, quæ tamen rite inſpecta vix interprete eguerunt.

gg) *Nam non ſemper*, inquit, ill. d. Goebel cap. 11. de fideicommiſſis pag. 142. in not. *Leges Pandectarum, quæ non niſi fruſtula ſunt veterum Jurisconſultorum de Jure commentariorum miſere lacerata & male ſæpe diſpoſita, reſtrictiones, quæ adponi debebant, referunt. Sufficit eas, ex Juris analogia & interpretationis regulis, ut antinomia evitentur & æquitas ſervetur, implicite adeſſe.*

§. XLIX.

§. XLIX.

Multa quoque a Triboniano illo Juſtiniani ævi JCto legibus corporis Juris incommode eſſe interpolata clamant, ſed *ætas noſtra*, ut verbis utar ſummi quondam viri, beati Heineccii ex Diſſ. d. *cauſſ. ſervit. perpet.* §. ult. *in id tempus incidit, quo ne Dupondii quidem Triboniano parcunt, & ſi quid occurrit, quod ipſi non intelligunt (at quam multa occurrent) ſtatim expediunt ferulas, & eum cerebrum in calcaneo habuiſſe clamant.* Mei inſtituti ratio neutiquam poſtulat, ut novam in præſenti pro Triboniano expectes a me apologiam; præſtiterunt eandem jam diu viri doctiſſimi, Schultingius, Lynckerus aliique, in id ſolum ego intendo, ne recurſu ad emblemata illa Triboniani, ignorantiæ illi, ſapientiam eruditionemque affectanti; aſylum ſuum remaneat; Wiſſenbachium non norit, qui eundem cogitando non præcipitem, ſcribendo non temerarium fuiſſe non cognoſcit, hanc tamen præ aliis Emblemata Triboniani, non ſine ulla ratione collecta, ſingulari tractatu orbi erudito communicaſſe novimus, & nihilominus eorundem numerum, ut antinomiarum, quotidie ſcriptis noſtrorum adeo deminui quotidie videmus, ut, ſi ita pergant noſtri ævi JCti, utrum Emblemata illa an antinomiæ prius exoleverint, neſciam. Pauca exempla correctionis tractatus, Wiſſenbachiani, ut hoc loco adferam, multitudo, hh) plura ut recenſeam brevitatis ſtudium me prohibet. Docebit me interea doctiſſimi Viri factum, ut ad emblemata Triboniana, ignorantiæ meæ velandæ ergo, non facile refugiam.

Brocard. VI. Tribonianus multa interpolavit.

hh) Ne temere hæc dixiſſe ego videar lectorem hum. ad famigeratiſſimum JCtum Bynckershoekium non remittere non poſſum, qui Vir unus ſcriptis ſuis plura quam quinquaginta pro Emblematibus temere eſſe venditata, ſolidiſſime oſtendit, nec minus

quæ

Digitized by Google

quæ vera ſint Emblemata, acutiſſime docuit. Multus eſſe nolo, in laudandis aliis Viris doctiſſimis, qui idem in ſcriptis ſuis hinc inde præſtiterunt.

§. L.

Brocard. VII. Irnerius te ludit.

Idem fere cum Triboniano factum ob multorum ignorantiam experiri coactus eſt *Irnerius*, ſ. ut alii eum appellant, *Wernerus* Profeſſor quondam Italicus, a multis, quod plurima de ſuis corpori Juris temere immiſcuerit, accuſatus; nec hujus advocatum nunc agere mihi ſumo, iſtum verum non raro innocenter inſimulari, tam ex Pachenſtecheri *Irnerio injuria vapulante* quam ex aliorum ſcriptis hinc inde didici, non immerito igitur dolere mihi videor, quod Viri iſtius nomen toties inſcitiæ ac temerariæ multorum arrogantiæ patrocinium præſtare debeat. i i) Succinctam de Irnerio Hiſtoriam exhibuit Vir doctiſſimus C. A. Braun in denen Anmerckungen über die Pandecten tit. 2. de orig. J. §. 12. quas quod Dn. Autor, uti promiſerat, non continuet, multi mecum dolent.

i i) Nolo in præſenti agere de ipſo *Juſtiniano*, multis, quæ eſt ipſorum protervia, ſine ratione inculpato, vide ſis Ludewigium in vita Juſtin. quis ſatis eum ab injuriis liberavit. Eccardum illum a *Repkow*, Saxonici illius ſpeculi collectorem, plus juſto multis taxari, item jam obſervarunt eruditi.

§. LI.

Brocard. VIII. Hæc Africani Lex eſt;

Tam proterva eſt ignorantium ſuperbia, ut rerum cognoſcendarum difficultatem raro in ſe latere credant, ſed aliis eorumque dictis plerumque obſcuritatis notam imponere ſint paratiſſimi. Sic nullum fere deprehendes ex veteribus illis Juris Rom. antiſtitibus, quorum in dictis ſcriptisve obſcura multa deprehendere ſcioli iſti ſibi non videantur; Illi

Illi Papinianus, huic Ulpianus, alii Paulus, alii Cajus, (eccur omnes recenſeam viros illos, quibus ſcientiam omnem, quam de Jure Rom. callemus, debere, confiteri nos oportet) obſcuritatis arguitur, idque prout e re cujuslibet viſum eſt. kk) Equidem nec ego abnuerem, multa mihimet ipſi veterum JCtorum dicta ſententiasque quam maxime obſcura videri, eam vero ob cauſam tantis ſuorum temporum luminibus Papiniano, Ulpiano, Paulo aliisque vitium obſcuritatis exprobrare tam inpudenter, piaculum mihi ducerem. Mallem potius propriam, in eruenda vera vocum latinarum, maxime antiquarum ſignificatione, inhabilitatem agnoſcere, quam absque ullo pudore alios vitii cujusdam inſimulare, inprimis cum non raro, aliorum ſcripta legendo, ſim expertus, quod iſta, quæ huic obſcuriſſima viſa, eadem tamen alteri luce meridiana clariora obvenerint. Sic Cujacius tract. 2. ad Afric. ad L. 95. D. §. 2. d. *Solut.* Hottomannum, JCtum ſane non inter ignorantes connumerandum, ſcutica dignum ob non intellectam illam legem judicat. Nec obſtat, quod plures obſcuritatem adeſſe docuerint, facilius enim non ſolum ſuos ſectatores adipiſcuntur errantes, ſed etiam diligentiores cito ſecum abripiunt, adeo ut ſumma lux ob auctoritatis præjudicium pro nebula ſæpe reputetur, Sed eſt ea ignavorum, maximeque ſtupidorum conditio, ut, quo craſſior ſua ipſorummet obſcuritas ac hebetudo, eo majore alii laborare ipſis videantur.

kk) Exemplum adducit vir ſolidiſſimus Cornel. van Eck diſſ. ad VII. LL. damn. §. ult. ubi *Hottomannum magis ut ſententia ſua velificaretur, quam quod revera ita ſenſerit, Paulum miſeræ ac nimiæ ſubtilitatis, nunc injuſtitiæ nunc confidentiæ reum agere* dicit.

§. LII.]

Brocard.IX. leges damnata, cruces JCtorum.

Permultas in corpore Jnris obvenientes leges obſcuritatis ab ignorantibus accuſari quis miretur, cum ipſos illos legum auctores veteres illos JCtos opinor, ſine nota obſcuriotitatis dimittere multiſcie illi non potuerint, tanto interdum liberiores ac ferociores, quanto minores in Jurisprudentia profectus fecerunt, immo leges quasdam propria auctoritate damnare ſunt auſi, crucique adeo affigere, ubi dubio procul perituræ fuiſſent, niſi vir ſumme eruditus CorneI. van Eck ſingulari Diſſertatione easdem deſcendere ſua interceſſione effeciſſet. Nullæ prorſus ſi reperirentur leges in corp. Juris obſcuræ, ceſſaret profecto primarium illud, in interpretando conſiſtens, officium Juriſconſultorum: Nulla enim occurrente obſcuritate legum, nulla quoque earundem interpretatione opus eſſe quilibet animadvertit, male igitur ratiocinantur, qui cum Dn. Elend. §. IV. n. X. cit. diſſ. poſt Zaſium ad D. d. accreſcent. uſufr. loquuntur. *Hunc titulum tranſeamus ſuſpenſopede, quia plenus eſt vepribus*, loco ejus, quod dicere debuiſſent; *Huic titulo, huic legi, quod plena eſt vepribus, diutius immoremur*, hoc nim. modo fidelis interpretis munere perfungi mihi demum viderentur. Tantum igitur abeſt ut leges obſcuræ, quodſi & concedas multas recte inſimulari hujus notæ, methodo ſcientificæ in Jurisprudentia adhibendæ obſtent, ut potius in reſolvendis legum dubiis oraculis maxima methodi hujus vis ſeſe exerere poſſit ac debeat. Aut enim legum obſcuritas ab alio ſecundum hanc methodum poterit tolli, aut minus, illo caſu tollatur, hoc vero, ut legem legi reponam, iſtud, quod Pontifex d. *obſcuris* c. ult. diſt. 12. in fine monet, *in obſcuris ſequendum quod legibus contrarium non eſt*, obſervare non dubitarem, donec & hæc obſcuritas in luce evadere a doctiore jubeatur. Utroque igitur in caſu nihil

eſt

eſt, quod methodo hactenus aſſertæ officere vere poſſit, ut taceam in præſenti, de obſcuritate illa qua ob defectum plenioris linguæ latinæ uſus non pauci laborare ſolent, qua de re pluribus infra §. LXI. ſeq.

§. LIII.

Brocard. X. Aliter leges, aliter philoſophi loquuntur.

Veritas ac neceſſitas eorum quæ hactenus aſſerui eo magis ſeſe offeret nobis conſiderantibus ea, quæ adhuc per methodum iſtam arbitrariam licuere, ignorantiæ effugia, quæ inter, ut ſtatim progrediar, non raro exauditur præclarum illud: *Aliter leges, aliter Philoſophi loquuntur.* Aliter leges, aliter philoſophos, illas imperio, hos demonſtrationibus & convictionibus obligare, alium eſſe Juriſconſultum, alium philoſophum, nemo eſt qui ignorat; alia vero in eruendis veritatibus, probabilitatibus & concluſionibus via procedere philoſophos, alia Juri operam dantes, hoc eſt quod ego adhuc neſcivi; eadem logica vel veritatum vel probabilitatum & Philoſophos & Juriſconſultos docere debere mihi viſa eſt; eadem principia hermeneutica a Philoſophis & JCtis adhibenda eſſe ſemper ſum arbitratus, neque ut nunc aliter ſentirem, ullius adhuc auctoritas me dimovit. Sicuti porro eodem modo in probabilitatibus & Philoſophos & JCtos ſubſiſtere limites humani intellectus ſæpe jubent, ita non minus utriusque officium eſſe exiſtimo, ut artis ſuæ ac ſcientiæ ſplendorem ac progreſſum quovis modo adjuvet, ſuumque ſyſtema magis magisque in dies illuſtret.

§. LIV.

De Philoſophia, cum Juriſprudentiæ ſtudio conjungendo.

Vides igitur benevole L. quæ mea de præſenti brocardico ſit ſententia, numque iſtud pro tuenda ſua in interpretatione legum ignavia recte a quibusdam allegetur; quantus, quod

quod reliquum eſt ex Philoſophia, cum Jurisprudentia ſana ratione conjuncta, Juris Studioſo ſperari poſſit profectus & fructus hoc loco repetere merito ſuperſedeo, quod multi non ſolum ex profeſſo, ſed incidenter quoque ſolidiſſime id docuerint. Odium mehercule, quod multi erga philoſophiam tenent, ex ignorantia ipſorum potiſſimum profluere item jam obſervatum eſt viris doctis. Cum enim iſtud demum bene, ſapienter & cum ratione dictum factumque eſſe vere dici poſſit ac debeat, quod philoſophia præeunte peractum eſt, plane conſequitur, non in Jurisprudentia ſolum, ſed in omnibus omnino actionibus noſtris philoſophiam, graviſſimæ inſtar ſociæ ac magiſtræ, amplectendam eſſe & venerandam. Solent quidem de nimietate philoſophiæ multi querelas movere, ſed hæc quam infirmo ſtent talo partim ex inferioribus clarius fiet, partim ex ſuperioribus jam elucceſcit.

§. LV.

Broeard. XI. Minime ſunt mutanda, quæ certam interpretationem ſemper habuerunt.

Methodo novæ in Iurisprudentia recipiendæ maxime obſtare putant, quod ejus receptione fieri non poſſet, quin mutatione methodi adhuc uſitatæ multa quæ pro certis, ſaltem maxime probabilibus ubique admiſſa eſſent, nunc denuo incertitudini & novis diſputationibus ſubjicerentur, (quaſi vero quidquam certum maximeque probabile dici mereatur, cujus oppoſitum æque poſſibile eſſe demonſtrari poteſt.) Sic ill. Cramerum non immerito taxare ſibi viſus eſt Dn. Elend. in diſſ. cit. §. X. illum arguens quod adhibita iſta methodo mathem. res in ſe faciles ſubtili ſua & ſcrupuloſa ratiocinatione difficillimas reddiderit, id quod ſpecimine de *computatione L. Falcid.* probari poſſet dilucide, utpote quod etiam iis, qui Algebraicis meditationibus aſſueti, nec earum exoſi, nauſeam procreare aptum eſſet. Iam vero virum doctiſſimum

ctiſſimum in ſpecie ut defendam, dum mea defenſione non egeat, non audeo, neque ego eundem illa reprehenſione commotum eſſe ad derelinquendam ſuam in Iurisprudentia aſſumtam methodum animadverti, cum & poſt illam ejusmodi demonſtrationibus uti non intermiſerit; ad univerſalem tantummodo iſtam objectionem repono iſtud Exc. Wagneri in *præfat. ad Reſolut. Pandect. pag XI. Tribuendum eſt aliquid dignitati Jurisprudentiæ, ut formam artis induas, ut ſciatur magis, quam credatur.*

§. LVI.

Fac igitur interdum immiſceri demonſtrationes non cuivis e dupondiis illis ſtatim perceptibiles, idem fatum Matheſi ſæpiſſime accidere quis ignorat? diverſum profecto ſit oportet legum ſenſum demonſtrare, easdem autem ad facta applicare, in illo caſu ſubtiliſſimis demonſtrationibus interdum uti quis prohiberet? nemo ſane, niſi hujus artis imperitus ejusdem oſor erit; conf. quæ d. ſubtilit. inf. adduxero, nec non huc faciunt illa quæ ex Sidonio programmati d. *præſumt. Juris Rom. contr. mor. ant. germ.* eleganter ſubnexit ill. Cramer. quibus accedit, quod, theoretice ſi rem conſideres, minime laudi veræ eruditorum aliquid detrahatur, quod de rebus certis, vel ſaltem maxime probabilibus viſis dubitare poſſint, cum nihil frequentius, quam quo quis doctior, eo pluribus circa probabilitates ac veritates receptas dubiis eundem eſſe involutum, id quod in veritatibus methodo mathem. erutis tam facile non continget; tantum igitur abeſt, ut methodus mathematica incertitudinem Iurisprudentiæ augeat ut potius eandem innumeris illis dubiis ac litibus ſola levare poſſit; vid. quæ ſupra §. XXXVI. in not. pro neceſſitate hujus methodi ex Hinuberi *Dicaſtice* allegavi.

Demonſtrationes ſubtiles in Jurisprudentia admittendæ.

 §. LVII.

Digitized by Google

§. LVII.

Brocard. XII. Quæ utilitatem afferunt, magni facimus, quæ vero ad nihil conducunt, contemninus. Leo in Nov. LXVI.

De veritatibus inquirere, quæ nullam omnino utilitatem habent, perabſurdum eſſe, quilibet facili negotio agnoſcet, alioſque circa ejusmodi veritates anxie hærere, ſuoque adeo ingenio abundare, abs invidia facile quisque patietur, etiam ſi nulla lege quadam, vel ex Leonis Novellis depromta illud comprobetur; (ſed non loquuntur ſine lege) Hæc itaque in ſe, & in abſtracto conſiderata, licet veriſſima ſint, adeo ut vix quenquam hac in re nacturus ſis contra euntem, non incongrue tamen huc trahi poſſe illud non minus verum ac certum: Dari nimirum multas veritates in abſtracto, minus vero applicabiles in concreto vid. Bœhm. d. Except. met. inj. c. 41. §. VIII. Præſens enim brocardicum rite apdlicaturus iſtam veritatem, cui illud quidem applicandum, omnimodo inutilem eſſe, nullamque prorſus utilitatem adferre poſſe, doceat oportet, quæ probatio quanta difficultate, non dicam impoſſibilitate, laboret, exinde clarum fit, quod, quæ veritates prorſus ſint inutiles, a nemine, quantum quidem ego ſcio, ſatis adhuc evictum, neque ut opinor ab ullo unquam evincetur. 11) Ecquis enim doctiſſimus, quæ utilitatem ſola adferant, quæ ad nihil conducant, quæ utilitate omnimoda deſtituantur, in tanta ſcientiarum multitudine ac extenſione, in tam diverſa de utilitate cujusdam veritatis animis hominum inſita repræſentatione, determinare vel in genere, nedum in ſpecie auderet.

11) Sicuti enim permultæ herbæ, plantæque in montibus, collibus vallibus ac planitie quotannis procreſcentes deprehenduntur, quarum utilitas in homines directo vel indirecto redundans a medicis experientiſſimis nondum potuit indicari, quæ tamen nihilominus ob ſapientiſſimi Numinis providentiam pro inutilibus a nemine propter ignorantiam utilitatis exinde ſperandæ venditabuntur, ita veritatem aliquam, univerſalem inprimis ideam continentem, pro inutili prorſus habere, ego ſaltem non conarer.

§. LVIII.

Speciatim ut de Iurisprudentia dicamus, alii quæ Theoriam, alii quæ praxin adjuvant, alii quæ antiqua, alii quæ nova continent, alii quæ ſubtilia ac difficilia ſunt, amant, alii quæ plana intellectuque facilia, alii quæ ardua ac magna, alii quæ ſimplicia & levia videntur, alii quæ Ius Romanum, alii quæ Ius germ. illuſtrant & quæ ſemper mira hominum fuit diverſitas propenſionum, uti cujusque ingenio una ſententia altera placuit magis, huic pro utiliſſimis, quæ alteri inutilium loco exiſtimantur, reputari ſolent. Nullam autem ex omnibus jam nominatis ſcientiæ partibus fructu ſuo ac utilitate carere, nemo non animadvertere facile poteſt, quodſi ex animi gratia, judicii vel ingenii exacuendi ergo in aliquam veritatem indagare quem videas, cum veritas hodie ſterilis viſa, multis aliis inveniendis facem præferre facile queat; β) exinde elucet, quam convenienter permulti iſtas veritates, quarum evictarum utilitas non ſtatim adeo palbabilis ipſis occurrit, germanico nomine derer Grillen inſignire ſoleant; Hæc enim cum ſint ejusmodi veritates, quarum nulla prorſus utilitas, has autem determinare cum ſit difficillimum, ſatis apparet, valde imprudenter ac inconcinne hanc vocem multoties applicari.

Varius de utilitate materiarum Jurid. conceptus.

β) Temere itaque, nimisque confidenter loqui mihi videntur, qui quasvis veritates, quarum utilitas nulla vel adeo inſignis ipſis cognita, pro inutilibus jactitare non dubitantes, qualibet occurrente occaſione, ne ſuam ignorantiam prodant, illo: *Hæc uſum non habent*, ſe tuentur, eoque ipſo aſylum umbratilis ſuæ eruditionis inveniſſe ſibi perſuadent. Jam ſingula percurramus.

§. LIX.

Dari in diſciplinis ſubtilia docuit Iul. Cæſar Scaliger ſingulari de *ſubtilitate* libro, eandem ſtatim in initio L. I. c. 1.

Brocard. XIII. ſubtilia in Iure plerumque inutilia.

pag.

pag. m. 4. ſic definiens. *Illa aptitudo, quæ a natura data vel inſtituta, crevit, aut diſciplinis, aut contemplatione, ſubtilitas meo judicio haberi debet.* In Iure quoque dari ſubtilitates ex l. 13. prſ. ff. d. lib. & poſth. l. ult. c. d. interd. matrim. l. 7. c. de inſtit. & ſubſtit. aliisque perpluribus exemplis apparet, quorum explicatione *ſingulari libro enodationem ſubtilium.* Tom. IV. Theſauri Juris Everhard. Ottonis inſerto inclaruit Jacob. Conſtantineus; circa hæc igitur ſubtilia, quid Juris ſit, ſi quæras ex Burchardicis illis, reſponſitare ſolent: *Subtilia in jure plerumque inutilia.* Cum enim ſubtilitati oppoſita ſit ſimplicitas, hæc vero quatenus ſtulta eſt ac vituperanda, ignorantiæ ignaviæque ſit comes non potuit non apud ſimplicios illos, ut ita dicam, erga ſubtilitatem non levis exoriri contemtus, & hinc brocardicum noſtrum ortum eſſe certiſſime ſum perſuaſus; crepant præterea lites, odia, injurias, quin imo cædes ex ſubtilitatibus exortas. Omnia tamen hæcce, me, quovis modo audaciter ignorantiæ obviam iturum, movere nequiverunt, quin pro indagationis ſubtilium in Jure occurrentium, utilitate ego ſentirem.

§. LX.

Subtilium enodationes ſunt utiles in Jurisprud.

Cum enim pleræque Juris mere civilis doctrinæ de *ſervitutibus, Teſtamentis, Fideicommiſſis, præſcriptionibus*, aliæque rite inſpectæ, ſubtilitatum ſunt fertiliſſimæ, non comprehendo, quomodo abſque ſolida earundem inveſtigatione magnos in hisce materiis progreſſus facere quis audeat; unde, dic ſodes, tot de difficultate illarum materiarum querelæ? omnes hasce ſublatum iri exiſtimo, ſi ſubtilibus, illis in materiis obvenientibus, indagandis atque evolvendis penitius incubueris. Exemplum vere eximium hac in re exhibuit nobis ſubtiliſſimus Juriſconſultus b. Heineccius

cius diſſ. d. *cauſ. ſervit. perpet.* materia acutiſſimis JCtis, Cujacio, Donello, Hubero, Schiltero, Thomaſio pluribusque pro ſubtiliſſima, ad explicandas vero multas Corporis Juris Leges pro inutili neutiquam exiſtimata. Tantum igitur abeſt, ut ſubtilia pro inutilibus in Jure habenda ſint, ut potius ad illa in interpretandis & extricandis dubiis locis ſit recurrendum. Contemplationes, ſpeculationes, laborem ac ſudorem reclinant, qui ſubtilia pro inutilibus tam proterve venditant. (conf. §. LIII. & LIV.)

§. LXI.

Brocard. XIV. Apices Juris non ſunt attendendi.

Ejusdem fere farinæ brocardicum cum præcedente eſt vulgatum illud: *Apices Juris non ſunt attendendi*, quatenus itaque ſub apicibus Juris, ſubtilia intelligere volunt, ad ſuperiora amittimus; quodſi vero apices Juris interpreteris aut deſcribas, per exceptiones dilatorias ſecundum legis tenorem competentes, uti e. g. hoc ſignificatu hanc vocem in §. IV. ff. L. 29. Mand. occurrit; laudatur in hac lege fidejuſſor fraude carens, qui, dum poterat uti exceptione dilatoria procuratoria, ſive ſciens ſive ignorans, eadem non utebatur, & bona fide egiſſe dicitur, quippe ipſi non congrueret de *apicibus Juris diſputare, ſed tantum de eo, debitor fuerit, nec ne?* bona fide ibi fidejuſſorem agere Ulpianus ait, ubi exceptioni, mandantis nomine ipſi competenti, renunciet, relictisque apicibus Juris tanquam dilatoriis effugiis, de principali potius quæſtione ſolicitus eſſet; ex quibus ipſis facile eluceſcit, quæ vera præſentis bracardici ſit & debeat eſſe ſententia, nec modo iſtud ipſum non oppugnare ſed commendare omnino iis, qui exceptionibus dilatoriis & quibusvis Juris beneficiis, ad tempus ſibi competentibus, tenaciter nimis inhærent, Advocatos utique actores omnes ac reos acclamatione hujus bracardici, humanitatis,

 utque

Digitized by Google

utque a calumniis abſtinere velint, admonendos eſſe cenſeo, Juriſconſulto vero inde præſidium ignorantiæ, eique non intelligendi omnes apices Juris (vel ſubtilitates vel exceptiones dilatoriæ iis ſignificentur) licentiam concedi vel ſumi, quis pateretur.

§. LXII.

Brocard. XV. Nimia ſcrupuloſitas nocet.

Nolim vero putes, omnia ut ſciat, neceſſario a JCto me exigere, hoc tantum volo, ne quis credat, ſibi quædam in ſpecie ignorandi licentiam eſſe; ſane hac in re adſtipulari nequeo doctiſſimo Beyero in præf. ad Delin. Pandect. §. 10. ubi : *deinde cognitionem antiquitatis &c. ſed generalem & hiſtoricam*, niſi forſan hæc de iis, qui praxi ſolitariæ ſtudent potiſſimum, intelligat, ita enim ob §. præcedentis verba videri poteſt ; & profecto vereor, ne ſub voce iſta: *generalis* & *hiſtorica notitia* aſylum ignorantiæ ſæpe conſtituatur; magis igitur arridet iſta Thomaſ. in diſſ. de legitimat. §. VIII. n. f. inf. adhibita philoſophia : *Intereſt* inquit vir doctiſſimus, *juventutis, ut in exponendo Jure Juſtin. ita verſetur, ut non more pſittacorum repetant tradita interpretum, de quibus nullum conceptum ſibi formare poterint, ſed ut de rationibus & cauſis impulſivis legum, quam perſpicue & ſenſibiliter id fieri poterit, juſtas ſibi forment ideas.* Merito igitur brocardicum iſtud: *Nimia ſcrupuloſitas nocet*, Theologis illis, qui rationem captivam tenendam quavis propoſitione commendant, relinquimus ; In Jure tantum abeſt, ut nimia ſcrupuloſitas adhuc nocuerit, ut potius nimia confidentia & ſecuritas tantis illam erroribus ac incertitudinibus involverit.

mm) Atque ſub hoc ſenſu admittendum etiam eſſe arbitror frequentiſſimum illud : *Erudita eſt inſcitia quædam ignorare*, ab iis ſæpe proferri ſolitum, qui verbis magis quam factis modeſtiam

prodere

prodere volunt, brocardicum hoc non tam ſæpe modeſtiam quam ignaviam tanquam fontem agnoſcere, faciIlimum erit intellectu cuivis, penitius uſum hujus proverbii inſpectanti.

§. LXIII.

Pro inutilibus in Jurisprudentia non pauci reputare ſolent, ea, quæ ad inferiora litterarum ſubſellia pertinent, iſti magniloqui, non niſi ardua crepantes, equidem grammatices utilitatem in Jurisprudentiam abundantem ex profeſſo qui oppugnaverit, neminem jam reminiſcor, ſatis autem, quid de illa ſentiant, ex variis illis in grammaticos elucet irriſionibus ac dicteriis; *Hæc ad grammaticorum pulpita pertinent: hoc iis, qui verba magis, quam res captant, relinquimus: ſapiunt hæc aliquid ſupercilii pædagogici; grammaticemus aliquantulum liceat* σχλενδεριανίζειν, *in inveſtiganda hujus vocis origine ne moremur, de re ipſa & noſtro potius ſcopo, quam de vocabuli inveſtigatione anatomica ſoliciti*, quæ omnia ac plura alia contemtum grammatici ſtudii ſatis manifeſtant. Utilitatem vero, imo neceſſitatem grammatices ſtudiique etymologici in Jurisprudentia adhibendi demonſtrare in præſenti mihi facillimum foret, ſed pulcherrima ratione hoc præſtiturus, doctiſſimorum, hac de veritate dicta ſententiasque colligere me oporteret, quod cum ſine plagii crimine me facere non poſſe credam, lectorem cupidum ad iſtos potius remitto, vid. omn. Schaumburg d. *Jurisprud. vet. Stoica* c. II. §. XV. c. VI. §. I. Gœbel de fideicommiſſis c. II. §. I. in not. Adr. Beyer in app. ad diſſ. de umbra rec. 1739. Ducker *de latinitate vet. Juriſconſultor.* Ev. Otto in *Papiniano* c. V. §. III. qui omnes tanta perſpicuitate neceſſitatem utilitatemque grammatices ac ſtudii etymologici oſtenderunt, ut gravitas rationum ab ipſis adductarum neminem grammatices ſtudium nauſeare patiatur.

Brocard. XVI. Ego Juris, non grammatices ſum peritus.

 Quem

§. LXIV.

Etymologici ſtudii neceſſitas.

Quemadmodum itaque Jurisconſultum, verum intelligo, absque philoſophia concipere mihi abſurdiſſimum videatur, ita de Etymologiæ ſtudio idem prædicare nullus dubito; Sicuti vero a JCto ſummam in ſtudio philoſophico perfectionem requirere non minus perabſurdum foret, ita pariter de etymologica ſcientia me jam aſſerere, nemo moleſte feret; atque hoc modo intelligi ſine dubio volunt viri doctiſſimi Exc. Thomaſius hunceque in diſſ. d. *ſcript. non legib.* allegans ill. Bœhmerus, qui *ornamenta ſunt iſta,* inquiunt, *JCti, quibus ſi quis careret, pro ſordido tamen haberi nequit*; ab his viris enim ægre me diſceſſum facere quamquam confiteor, pro nudo tamen ornamento iſta ut habeam, quæ neceſſitatis ſunt, a me impetrare non potui. Sicuti autem nullum ex omnibus, qui unquam fuere JCti, facile deprehendes, de quo, niſi vanitati nimioque adulationi locum quis dare velit, dici non poſſit, eundem vel in hac vel in illa Juris parte erraviſſe, interdumque quid reſpondeat, ignoraſſe, ita nec illi, qui circa unius forſan vocis originem inſcitiam ſuam profitetur, nomen Jurisconſulti denegare, nec eum pro ſordido habere conarer; hoc enim qui auderet, nullum Jurisconſult. uti nullum philoſophum in hac terra oſtenderet. nn)

nn) Interea rectiſſime Gellium N. A. l. 16. c. 10. a Jurisperito grammatices peritiam exigere ego arbitror, quamvis illi, qui vocem *Proletarii* neſcire ſe confitebatur, nomen id circo Jurisconſulti denegandum eſſe non cenſeam, ſed JCti *conſumati* quin imo *conſummatiſſimi* nomen ambienti nullum neque in ipſa Jurisprudentia neque in Etymologia vocum Juridicarum errorem vel ignorantiam admittere, licere, ex jam dictis plane pateſcere quilibet facile intelligit.

§. LXV.

Ob cauſæ connexionem non poſſum, quin pro puritate linguæ latinæ Jurisprudentiæ vindicanda, pauca hic inſeram: Inter innumera nimirum, quæ ſibi ignorantia arrogare ſolet privilegia, non infimum, nec parum frequens, præſertim inter legum peritos, reperitur iſtud, quod a regulis linguæ alicui præſcriptis, ſi ultra vulgus aliquid ſapere ſibi videntur, exemtos ſe eſſe exiſtiment, id quod vulgatiſſimo illo: *Docti male ſcribunt*, ſatis ſe defendere poſſe lubentiſſime credunt. Hinc in ſcriptis ſuis e. g. Deponentibus pro paſſivis, imperſonalibus pro perſonalibus, figuratis pro ſimplicibus aliisque pro aliis utendi licentiam ſibi ſumunt, cum tamen omnia iſta, eorundem natura ſecundum principia grammatices univerſalis rite conſiderata non poſſint aliter, quam apud grammaticos plerumque compoſita, uſurpari. Adeo vero ſua inſcitia ſuperbiunt, ut alios puritatis ſtudioſos irridere, tanquam rerum viliſſimarum curioſos, ipſos non pudeat. Suis deliciis eosdem privare ego quidem non intendo, modo ex notione docti viri iſtam licentiam derivari velle me tædet; regulis enim legitimæ conſequentiæ non inhærere mihi videntur, qui ex iſta notione: *Doctus eſt is, qui plura univerſalia diſtincte ſibi repræſentare valet*; conſequentiam derivare conatur. E. docti male ſcribendi licentiam habent; nonne ſufficeret, ſi præſens brocardicum externæ litterapicturæ deformitati patrocinium præſtare ſinamus, ſive veniam gratioſe concedamus illis, qui magis, ut ajunt, intenti ad res, oo) quas tractant, ſcriptis ſuis tot barbariſmos tamque illegitimas impropriasve locutiones intrare patiuntur; quod ipſum quanto Jurisprudentiæ dedecore fiat, elegantiſſime docuit βιόγραφος ille L. A. Hambergeri, hujus diſſertationibus ſimul editis præmiſſus pag. m. LXXX.

Brocard. XVII. Docti male ſcribunt.

 nn) Nihil

oo) Nihil jam moneo de eo quod ipſæ hæ res pertractatæ incongruis illis, paritatique linguæ adverſis, phraſibus loquendique formulis ſæpiſſime ob hoc vitium intellectu ſint obſcuriſſimæ; neque quis ob aliorum Juriſconſultorum auctoritatem tutum ſe eſſe temere credat; iſtud M. Pomp. Marcellini ex Sueton. d. illuſtr. grammat. c. XXII. ad Cæſarem ipſum effatum perpendat velim; *Tu Cæſar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes.*

§. LXVI.

Brocard. XVIII. Hæc græca ſunt, quæ nec legi nec intelligi volunt.

Græca lingua Juriſconſultos, leges in corpore Juris Juſtin. occurrentes interpretaturos quantum adjuvet, ii potiſſimum, qui ejusdem non ſunt expertes, ſuo commodo experiuntur, ab ignorantibus contra eandem linguam inutilibus accenſeri, neminem in admirationem rapiet; id vero ut majori jure ac colore affirmare ipſi viderentur, Accurſium linguæ peritiſſimum, *hæc græca ſunt, quæ nec legi nec intelligi volunt*, dicere ſolitum, hujus quoque brocardici auctorem venditare prætendunt. Sed in omnes partes jam ſatisfecit ill. Bœhm. d. *ſcript. non legib.* §. 1. ſeq. ut nemini de uſu ex linguæ græcæ notitia in Jurisprudentiam redundante, deque vero hujus brocardici auctore ac ſenſu dubium remanere facile poſſit, cujus viri dicta omnia huic loco inſerere, quamvis non exiguum adferrent ornamentum, pudor me quidem retinet; lectorem igitur ad ipſum Auctorem remitto. pp)

pp) Fuere etiam, qui, nec ſine ulla ratione, Arabicam linguam JCto utilem eſſe poſſe demonſtrare ſuſceperunt, vid. omn. J. H. Hottingeri diſſ. d. *uſu lingu. arab. in Theolog. Med. Jurisprud. Philoſ. & Philolog.* quæ in ejus analect. Hiſtorico-Theolog. locum VI. occupat; Sed vereor ne inter nimia hanc linguæ notitiam multi referant, interim & exinde apparet, quantum ineſſe debeat ſcientiæ ac peritiæ, Juriſconſulto conſummati nomine ſuperbituro.

LXVII.

§. LXVII.

Critices quoque ſtudium tanquam inutile, ex Jurisprudentia prorſus eliminandum eſſe multi arbitrantur, nulla habita diſtinctione, merito an immerito alii in dicta ipſorum Criſin illam exercuerint; Sed eſt hæc ignorantium ſuperbia, ut neminem alium de genuino dictorum intellectu quamvis non ſine ratione differentem ferre poſſint, ſed ſemet ipſos omnium aliorum judiciis majores exiſtement; ortæ hinc abſurdiſſimæ multarum legum explicationes & interpretationes, omnium, ut ipſis videntur, doctorum conſenſu receptæ, quas ope critices genuinæ immutare velle temerarium prorſus, naucique plane habendum eſſe, autoritate ſua interpoſita, ſolidiſſimis rationibus pro ridiculis habitis, concludunt; ortæ hinc impropriæ illæ in commentariis aliisque locis absque neceſſitate occurrentes locutiones, propriaque auctoritate arrogata linguas deteriorandi, earundemque rerum uſum ac ſenſum pro ſua ignorantia ſuoque commodo detorquendi licentia, contra quam ſolidæ Critices præcepta proferre velle pro ridiculo prorſus, quavisque exploſione digno habent, ſuorum verborum ſemet ipſos interpretes optimos, qq) *horrendumque eſſe in manus criticorum incidere*, *clamant crepantque*, cum e contrario veritatis cupidi, magisque rationibus quam auctoritate ſua convincere volentes quodcunque criſeos examen ſubire non detrectent, iſtorum ſolas manus criticas horrentes, qui malevolentia ac livore potius quam veritatis amore adducti aliorum ſcripta ſugillare ſolent. *Horrendum eſt incidere in Criticorum, & quidem ineptorum atque malignorum, manus*, inquit Zentgrav. de *virtute heroic. B. Lutheri* vid. omn. quæ d. critices ſtudio Jurisprudentiæ applicando optime monuerunt viri doctiſſimi ill. Bœhm. ad D. *præf.* B. Heinecci *præf.* ad Cornel. van Bynckershœck opuſcula ab ipſo denuo edita, quæque ipſe van Bynckersh. ad ea eſt præfatus.

Brecard. XIX. horrendum eſt in criticorum manus incidere.

qq) Utque

qq) Utque ſub brocardici alicujus umbra loquantur, ad notiſſimum illud : *Quilibet verborum ſuorum optimus eſt interpres* ſtrenue provocant, hoc loco vero quam inconcinne hoc fiat, quilibet facile animadvertit. Sed *verborum proprietas* ex C. VIII. X. d. V. S. *Si attendatur, veritatis ſenſum plerumque amitti* regerunt; Ecquis autem unquam ſanæ critices ſtudioſus ſolam verborum proprietatem in interpretatione legum attendendam eſſe contendit, non enim ſolum, quæ verborum ſ. vocum nativa ſ. propria ſit ſignificatio, inquirit, ſed & quæ ex ſanis principiis, vocum per conſuetudinem vel jam recepta ſit, vel recipi poſſet ſignificatio, ſolidæ critices ſtudium docere nos valet.

§. LXVIII.

Brocard. XX. legibus medelam adferre licet.

Ji tamen ipſi, quos modo ſtudii etymologici contemtores, latini ſermonis corruptores, criticenque plane peroſos annotavimus; ad emendatas leges ſibi obſcuras viſas deprehenduntur proniſſimi ; *Quis enim*, ajunt, *legibus medelam adferre Juriſconſultum prohiberet*? Multas nimirum in corpore Juris, ob latini ſermonis deficientem plenariam cognitionem, leges nobis obſcuras videri jam ſupra obſervavimus, (§. LI.) non enim ex illis ſum, qui Ciceronianam adeo puritatem, nimis Juris Rom. amore occœcati, in legibus corporis Juris deprehendere ſibi videntur , ſed potius cum Sanctio, Juriſperitos, ſi eodem, quo Cicero, genere dicendi uſi eſſent, leges conſcribere neſciviſſe dicerem, ſiquidem leges ac Juris Reſponſa brevitate inprimis acconcinnitate ſe commendant, quam veteres JCti in ſcriptis ſuis, unde leges deſumtæ, adhibuiſſe merito laudandi, minime vero vitii cujusdam admiſſi ideo arguendi mihi videntur, iſtam vero brevitatem ; ob linguæ latinæ nec non græcæ inſufficientem notitiam, multos in interpretando iſtas leges morari nequaquam negare auſim; interea efficaciſſima, quibus huic malo occurratur, adſunt remedia, id ipſum nimirum etymologiæ, linguarum criticesque genuinæ ſtudium, quarum

rum ope non ſolum a viris doctiſſimis Budeo, Briſſonio, Auguſtino, Cujacio, Hottomanno, Roberto, Gothofredo, Jauchio pluribusque aliis nitidiſſimæ legum emendationes extant, ſed & in poſterum plures ſperari poſſunt vid. omn. Cr. Beſt. de ratione emendandi LL.

§. LXIX.

Violentæ textui manus non adferendæ.

Sed in longe alia eunt ſcioli iſti, nullam quippe in ſe agnoſcentes obſcuritatem, incommodam nimis etymologici linguarumque ſtudii, odioſamque critices genuinæ viam reputantes, longe tutiore & commodiore, ut ipſis quidem videtur, ad tollendas legum obſcuritates via ingrediuntur; librariorum nim. incuriam in deſcribendo ſtrenue accuſantes, pro lubitu ipſi addunt, omittunt, mutant, interpungunt, ſecant & urunt, quovisque modo violentas legibus manus injicere non erubeſcunt, aliorum non æque impudentium inſcitiam inſuper ridentes, quibus adeo merito acclamare poſſis Ovidianum illud:

Quis tibi ſæve puer dedit hoc in carmina Juris.
Violentas enim manus textui adhibere poteſtatem JCti longe egreditur inquit. Grollmann. de *Epiſt. hom. ult.* c. 2. §. XII. Unicam negationem addere dubitans, quemadmodum itaque ſanas legum emendationes maxime veneror ac ſuſpicio, ita violentas illas manus abhorrere me profiteor, dico autem *violentas manus*, omnes legum correctiones absque rationibus ſolidis, vel ex hiſtoria Juris vel ex analogia etymologiaque vocum deſumtis absque neceſſitate, modo ut cauſæ ſuæ quis faveat, affectatæque eruditioni, inſtitutas. Cautiſſime igitur hac in re procedendum eſſe arbitror præſertim cum & JCtos, ſecationibus alias haud ita deditos, ob ſuſceptam alicujus legis emendationem ab aliis idcirco vapulaſſe animadverterim. Vide ſis exemplum de

 quatuor

quatuor JCtis, interque eos, Hubero acutiſſimo ab excell. Rivino in diſſ. d. *Errem. in mat. poſſeſſ.* §. 28. in viam reductis.

§. LXX.

Brocard. XXI. Nimio antiquitatis ſtudio obſtinendum.

Pro inutilibus porro non pauci reputare ſolent antiqua illa, inter apices eadem & ſubtilia Juris referentes, nova potius intuenda atque colenda eſſe monentes. Eum autem demum pro JCto ſi agnoſcimus, qui vim & rationes legum exacte norit, nemo, qui antiquitatis ſtudium vim & rationes illarum ſuppeditare non ignorat, a JCto, ſaltem perfecto, iſtud ſtudium abeſſe poſſe credet. Nec in eo facile quempiam offendes contradicentem, ſed iterum pro more ſuo rejiciunt nimietatem, illam, uti omnibus locis cavendam, ſic & ſtudii antiquitatis: Sane & illud: *ne quid nimis*, pro ignorantiæ aſylo ſæpiſſime adhiberi facillimum eſſet obſervatu; nihil enim fere frequentius, quam ut ignorantes, omnia quæ ignorant; pro *nimiis* venditare, non erubeſcant, tædet itaque reſpondere, lectorem potius remitto ad ſuperiora; iſtum autem revera, quæ ſint nimia, determinare poſſe exiſtimo, qui totam plane antiquitatis hiſtoriam exhauſit. Generali quadam antiquitatum notitia contentos ſe eſſe poſſe multi gloriantur; eſt ea ignavorum ratio, ut, magis volentes ſubſiſtere in labore quam progredi, qualicunque rerum cognitione contenti facile inveniantur, id quod ægre a quoquam non ferretur, ſi modo quod ipſi ſint contenti, & totam idcirco Jurisprudentiam contentam eſſe debere, imperare deſiſterent. Sicuti enim Hiſtoricum conſummatum opinor, univerſali ſ. generali iſta ſtatuum notitia contentum eſſe poſſe nemo temere affirmabit, ſed eundem de ſingulorum quorumlibet ſtatuum hiſtoria ſollicitus eſſe oportet; ita & JCtum, conſummatum intelligo, non facile qualicunque Juris hiſto-

ria

ria contentum eſſe oportet; Sed generali illa de Jurisprudentia notitia ſibi cognita reddita, ſingulorum deinde Juris capitum, imo legum ſingularum hiſtoriæ incumbere ejus officium expoſtulat. vid. Exc. Braun. Anmerckung über die ff. tit. 2. d. orig. Juris §. 17. Sed practicos Juris, uti ſe appellant, iſtud ſtudium tantopere proſequi non oportere, ajunt, reſpondit autem jam olim ill. Bœhm. d. meth. diſp. pag. m. 74. *Omnes diſputationes*, inquit, *quæ ex antiquitate Rom. ad illuſtranda Jura conſcribuntur, ſingulari utilitate pollere exiſtimo, cum exinde appareat, quam ſæpe DD. opiniones in praxi male cohæreant, imo ipſa praxis erronea ſit.* Egregie diſſerunt de antiquitatis ſtudio Mollenbec d. Jure Papir. §. 1. Grollm. d. Iure decemvir. ut jam nihil moneam d. B. Heineccio eundemque probe imitante I. Q. Hoffmanno aliisque patriæ inprimis antiquitatis ſolertiſſimis inveſtigatoribus.

§. LXXI.

Sed quæ mira humani ingenii varitas, adque diſſentiendum propenſio, alii ſolam antiquitatem adeo magni faciunt, ut omnem novitatem cum ipſis novaturientibus rr) faſtidiant plane ac abhorreant, quid quod prout quid novum, ſic erroneum idem ac vilipendendum exiſtiment, & hoc argumentum apud Theologos quidem concludere volunt. vid. tr. ὁ πάνυ Grotius d. I. B. & P. L. 2. c. 20. §. 49. Aſt Iurisprudentia noſtra, methodis ſaltem in iſta adhuc adhiberi ſolitis, ad iſtum certitudinis gradum ſane nondum eſt evecta, ut examinationes & correctiones eorum quæ hactenus invaluerunt ſuperſedere tuto poſſimus, id quod præſertim ab iis, qui totam fere Iurisprudentiam noſtram nudis modo probabilitatibus ſuperſtructam eſſe contendunt, nunquam cum ratione abnui poterit, ut nihil adferam de incertitudine, quæ

Brocard. XXII. Nihil eſt dictum, quod non eſt dictum prius.

reapſe hactenus fuit, noſtræ Iurisprud. tam theoreticæ quam practicæ, neque enim, vel methodo demonſtrativa in Iurisprudentia ſtabilita, ſemper multa nova dicenda demonſtrandaque reſtitura eſſe negarem, in tanta enim novorum quotidie obvenientium caſuum diſparitate fieri aliter nequit, quam ut de rite inſtituenda legum applicatione novæ deductiones ac demonſtrationes maxime ſint neceſſariæ. Hæc enim caſuum diverſitas fortiſſimam fere Iuris incertitudinis cauſam continere exinde concipitur, quod plures de iſta incertitudine: Num caſus obvenientes ad genus iſtud, ſpeciemve legibus determinatam pertineant, quam de legum ipſarum obſcuritate diſceptare videas; imputatio Iuris plerumque certa, facti contra imputatio difficilis eſt ac ſpinoſa. Omnino igitur adhuc hodie valet iſtud Senecæ Epiſt. 33. *Omnibus patet veritas, nondum eſt occupata, multum ex illa etiam futuris relicta eſt.* vid. Hinub. in proleg. ad Dicaſt pag. m. 27. ne vero ſim longior, quid ego potiſſimum de antiquitatis & novitatis ſtudio ſentire velim, me docuit Owenus.

Diſplicet inſipiens novitas, delira vetuſtas
Non placet: eſt vero nil mihi, Paulle prius;
Non ego ſum veterum, non adſecla, Paulle novorum
Seu vetus eſt, verum diligo, ſive novum.

rr) Neque autem tenue adeo aut facillimum Novatoris officium exiſtimandum, cum nomen iſtud in laudem eorum potiſſimum, qui de corrigendis oppugnandisque erroribus communibus meriti ſunt, non vero eorum, qui cavillationis ergo prurituque innovandi nova ſparſerunt, frequentari ſoleat. Novatorem eſſe itaque non ſemper quidem laudi ducendum, ſed non vulgares ingenii vires ſolidi novatoris partes requirunt; contra communem opinionem conſuetamque legum interpretationem, & tamen dicere, ſi non convictione, ſaltem majori veriſimilitudine, non cujuslibet profecto eſſe mihi videtur.

§. LXXII.

§. LXXII.

Brocard. XXIII. Praxis maxime intuenda.

Sic multi non niſi res agendas crepantes, ea, quæ autem iſti praxi commodant, pro utilibus ſolum, excluſis theoreticis inveſtigationibus reputare ſolent, non perpendentes, genuinam demum praxin ſolidæ theoriæ tanquam fundamento ſuo niti ac ſuperſtructam eſſe debere; Nec chartam, nec tempus jam conſumere volo in refutandis illis, quæ a multis, nomen practici ſibi arrogantibus in theoreticos conjici ſolent ſcommata, abſurdiſſimaque convicia; ea enim ſi referas, refutabis, nec unquam a genuinæ praxeos ſtudioſis eadem fieri animadvertes, ſed a Rabulis plerumque aut leguleis nomen Iuris practicorum multo minus quam Iuris corruptorum merentibus. Vix enim profecto credibile videtur, dari poſſe viros, officio practici rite fungentes, qui tamen theoriæ contemtores & exſibilatores oſtendere ſe poſſent. Cum enim cujusvis vere practici munus in legitima legum applicatione debeat conſiſtere, hæc autem absque præcedente ſolida earundem theoria rite fieri ac procedere neutiquam queat, γνησίως practicum absque Theoria mihi ſaltem concipere non licet. Sed nimiam, pro more ſuo, ſubtilem, inutilem denique theoriam modo aſpernari ſe multi profitentur, ad nimiam vero quod attinet, ſane neſcio, quam ſub ea intelligant, nondum enim ad id certitudinis faſtigium Iuris ſcientia eſt elata, ut ſufficientem in ea theoriam, tantum abeſt, ut nimiam poſſidere nos dicere poſſimus: de ſubtilitate vid. quæ ſupra (§. LIX.) de inutilibus in genere diſputare anceps eſſe jam ſupra obſervavimus (§. LVII. ſeq) de Theoria inutili in ſpecie vid. infra (§. LXXII.) Utrum autem ii, qui legum explicationi earundemque ſolidæ interpretationi, ſyſtematique Iuris conciliando, an ii qui crumenæ, reique œconomicæ per Iurisprudentiam augendæ ſtudent ac dies noctesque incumbunt, ad Reip, utilitatem, ſa-

 lutem

lutem nim. ac ſecuritatem ejus', plus conferant, benevoli lectoris judicio relinquo.

§. LXXIII.

Brocard. XXIV. Leges ſcire, non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem.

Nec deſunt, adeo Theoriam deamantes, ut omnes practicos alto quodam ſupercilio, tanquam infra ſe poſitos contueantur, in eosdemque, jure forſan retorſionis non tam de Iurisprudentia, quam de pane lucrando, acquirendisque per illam divitiis ſollicitos, acutiſſimis dicteriis invehi nulla occaſione intermittant: & profecto ſi inter utrorumque, & practicorum & theoreticorum in conviciando ſe invicem injuriam, utra major vel minor, comparationem inſtituendam ego haberem, theoreticorum minorem ſane arbitrarer, quod hi obſcuriſſimas interdum leges intellectuque difficillimas multo ſudore & arte in clarum poſitas, practicis absque ulteriori opera explicandas, factis modo obvenientibus applicandas tradunt, adeo ut hi ipſi iisdem tanquam lemmatibus ſeu propoſitionibus alibi ſatis demonſtratis uti commodiſſime poſſint; ſe ipſos quoque hanc ipſam ob cauſam ad fontes & Aſyla Iurisprudentiæ accedere, vereque ſacerdotes Iurisque myſtas appellandos eſſe, theoreticos gloriari memini; Sed uterque merito abſtineat viliſſimis illis erga ſe invicem dicteriis, illamque ab exc. Rechenbergio in Progr. d. hac mat. ad Marbergeri diſſ. de *falſ. monet.* commendatam excolat tolerantiam, præcipue cum convicia illa & objurgationes in Rabulos modo ac legulejos, minime vero in genuinæ praxeos patronos quadrare mihi videantur. Et habent hi præ theoreticis, ut ego quidem opinor, quo viciſſim gloriari poſſint. Ea enim cum noſtra hominum ſit conditio, ut univerſales ideas, quamvis ſumma interdum claritate propoſitas non tam diſtincte, quam ſi easdem ſingularibus inexiſtentes deprehendamus, nobis repræſentare poſſimus, fieri

fieri non poteſt, quin majori omnino luce ac diſtinctione vere practicus ſibi ſiſtere valeat Juris veritates. Quamvis itaque, aliter ac de practicis diximus, theoreticum absque praxi concipere liceat, eum tamen *Juriſconſultum*, niſi theoriæ ſuæ praxin accedere faciat, vix quisquam habebit, ſed nudo hactenus *Juriſperiti* nomine contentum eſſe oportere ipſum exiſtimo. Elegantiſſime utriusque, tam nudæ praxeos amatoris, quam theoretices ſolius cultoris vitium deſcribit ill. Schenckenberg diſſ. d. Jurisp. cert. meth. tract. §. XV. cujus verba, quod hoc loco, ornamenti ergo, adferam non tædebit: *Nonnulli*, inquit, *ſolam criticem & theoriam Juris, alii non niſi res agentes crepant aut leges, priores nimis, alteri parum ſapientes, cum medium in docendo, ut in omnibus tenendum ſit.*

§. LXXIV.

Dari Theoriam quandam inutilem, ex eo quod multa aliter ac a Theoreticis ſecundum regulas juſtitiæ propoſita, in applicatione ad facta ſeſe haberent, multi perſuadere ſibi volunt, exinde enim ſequi putant, multa in theoreticorum ſcholis addiſci, quæ tamen utilitate ſua, ob eorundem in praxi contrario modo factam determinationem, prorſus deſtituantur. Theoriam & Praxin differre a ſe invicem, nemo facile negabit; Theoreticus nimirum quid Juris ſit examinat ac inquirit, practicus vero, quod Juris eſſe evictum eſt, adfacta applicat. Theoreticus, quæ de toto genere ſ. de univerſa quadam ſpecie leges determinaverint, inveſtigat, practicus vero, an facta occurrentia ſub illo genere, iſtave ſpecie complexa ſint, ſcrutatur, hinc quoque theoriam ſine praxi, hanc vero ſine illa neutiquam exiſtere poſſe jam obſervavit Hinuber l. c. pag. 19. ſeq. Theoriam vero a praxi ita differre, ut quæ in illa Juris eſſe evicta ſint, in hac ali-

Brocard. XXV. Praxis a theoria magnopere differt.

ter

ter ſe habeant, ut crederem, a me impetrare non poſſum. Aliter ſentientes non attendere ſatis mihi videntur, quod aut Theoretici ſæpe peccent tradendo ea quæ Juris non ſunt, hæc autem a genuinæ praxeos cultore non attendi mereri quis negaret? aut practici non applicando quæ Juris tamen ſunt, hoc vero genuinæ praxeos ſtudioſo licere quis affirmaret? Multos ſibi caſus eſſe diverſæ a theoria praxeos multi quidem clamitant, plurimi autem vel, quia ſub iſto genere ſpecieve a theoretico determinatis ob minimam quidem circumſtantiam, (quam tamen ſecundum vulgatum illud: *Minima circumſtantia variat Jus*, attendere omnino oportet,) non ſunt comprehenſi, nihil igitur revera theoriæ contrarium continent, vel ſi conſuetudo vel irrationabilis leges immutare valet, Juris, & theoretice conſiderati eſſe deſierunt, aut ſi conſuetudo erronea tanti non eſt, praxis illa vel inveterata pro praxi genuina & vera neutiquam reputanda. Nec obſtat quod multa de facto arbitriove humano, aliter quam Iuris ſunt, determinentur, hanc enim viam, Juris praxin quis nominaret. Quam infirmo igitur ſtent talo iſta *in praxi aliter in praxi aliud obtinet*, *iſto Jure non utimur*, & quæ ſunt ſimilia, ſatis conſtat: vid. omn. Hinub. l. c. pag. 24. & 153. 207. &c: ss).

ss) *Sane non poteſt praxis norma Juris eſſe, quin potius ex Jure de praxi judicandum. Non quid in praxi receptum, ſed quid obtinere debeat, attendendum. Nunquam ergo praxis Juri & rationi opponenda* verba ſunt ſummi viri J. S. Stryckii d. Jure matrim. c. I. §. XVIII. *nec ea quæ cavillationis ergo, non neceſſitatis cauſa in praxi adhiberi ſolent, praxin vere talem efficiunt Ziegl.* de teſtam. temp. peſt. privileg. §. XXXI. Maxime præſens brocardicum ortum ſuum debere mihi videtur confuſioni illi Juriſprudentiæ diverſæ diverſorum ſyſtematum, ſic perabſurdum omnino eſt, ſecundum ſolitariam Theoriam Juris Rom. praxin noſtram dijudicare velle.

§. LXXV.

§. LXXV.

Ex eodem iſto principio ſatis infirmo, multi, ex iis quæ uſui practico inſerviunt, ea iterum, quæ frequentiorem uſum habere dicunt, eligentes, caſuum ſæpe occurrentium deciſiones præcipue inquirunt, quæſtionum vero rariſſime in communi vita accidentium reſolutiones ſi non pro inutilibus prorſus, pro indignis tamen longiori inveſtigatione habere non dubitant, neque ipſi abſque lege loqui dici poſſint ad l. 5. ff. d. leg. tanquam aſylum ſuum recurrere ſolent; hoc a praxeos ſolius ſtudioſis ſæpe fieri, mirari fere deſii, cum & theoriæ præcepta tradentes iſto: *hæc quæſtio vix apud nos unquam occurret,* utentes, ejusmodi quæſtionum deciſionem ideo omiſiſſe noverim, hoc autem eo ægrius ferendum exiſtimo, quod multi Jurisprudentiam Rom. edocturi multas quæſtiones Jure Rom. minime infrequentes, ideo quod in foris noſtris raro obveniant, ſicco, ut ajunt, pede tranſire non erubeſcant. Hoc vero paſſurus, quam inſigne ignorantiæ effugium relinquat, ex eo facile eſt intellectu, quod Jur. Rom. in foris noſtris uſum exiguum eſſe revera ſit certiſſimum. Quam incongrue vero hoc effugio quis utatur, vel unico Thomaſii exemplo addiſci poteſt; hoc enim viro quem omnium Juriſconſultorum in deſtruendo Juris Rom. uſu proniorem novimus? eundem vero nihilominus in explicando Juris Rom. nullius vel rariſſimæ quæſtionis, ſubtilitatumque pleniſſimæ incurioſum fuiſſe aut negligentem indagatorem, nemo, in manes tanti viri, in Jurisprudentiam inſigniter meriti, non ingratus exſtiturus abnuere poterit. Et mehercule neminem, præter ejusmodi ſolertiſſimum omnium Juris Rom. quæſtionum inveſtigatorem, ad earundem non uſum in foris noſtris oſtendendum eſſe aptiorem, ipſa negotii natura commonſtrat. Sicuti vero permultarum in J. Rom. obviarum quæſtionum uſum directum plane vel

Brocard. l. XXVI. Hæc quæſtio vix ſemel in ſeculo occurrit

valde infrequentem eſſe facile ſit ad demonſtrandum, ita earundem tamen deciſiones ob alias ſimiles, multasque exinde naſcentes concluſiones, utilitatis eſſe fertiliſſimas item cum ratione abnui nequit, maxime cum ſi non practicus, theoreticus ſaltem exillis uſus ſæpiſſime promoveatur, ut verbis utar Exc. Thomaſ. d. uſ. act. pœnal. c: 1. §. 30. Audacter itaque ſatisque temere loqui videntur, qui ob uſum alicujus negotii non adeo frequentem, ejusdem tractationem negligendam eſſe autumant. Præſertim cum multa & ſaluberrima, ipſorummet commentatorum, judicum vel Advocatorum inſcitia ac incuria pro non utilibus habita omiſſaque eſſe didicerim. vid. exempl. in diſſ. quam Bergerus de contra-vindicatione habuit §. 33. nec non Grollmanni diſſ. d. epiſt. hom. ult. c. 1. §. 1. ad quem locum, ubi & ad l. iſtam 5. ff. de LL. ſolide reſpondetur, lectorem ego brevitati ſtudens remitto.

§. LXXVI.

Brocard. XXVII. Juris rom. eſt exiguus uſus in foris noſtris.

Neſcio, quo multi plus quam Vatiniano erga Jus Rom. odio inducti, ejusdem uſum, tanquam rebusp. germanorum non modo non convenientem, ſed maxime ignominioſum ac quaſi ſervilem deſtruere annituntur: Sane aliorum legibus parere oportere non honorificum eſſe ipſe exiſtimarem, alienis vero legibus absque ulla accedente ab altero coactione ſponte ſua propriaque voluntate ſe ſubdere neutiquam inhoneſtum, idemque ac ſi plane novæ leges fiant, præſertim iisdem non niſi in ſubſidium receptis, ego quidem arbitror, idque eo minus germanorum Imperatoribus vitio vertendum, quod politica quadam ratione Jus Rom. recepiſſe eosdem nemo, hiſtoriæ juris gnarus, ignorat. Neque vero ego jam in eo ſum, ut juri rom. magnum frequentemque in foris noſtris uſum aſſerere laborem, proſtant enim in utramque partem doctiſſimorum virorum ſcripta ſummo ſtudio ac opera

elaborata

elaborata, vid. int. Braun. l. c. l. 1, tit. 2. §. XVI. ſufficit mihi in præſenti jus iſtud eſſe receptum, idque juris ſtudioſo, ſi non maxime neceſſarium, ſaltem addiſcere utiliſſimum eſſe. Quamvis itaque juris iſtius ſubſidiarii uſum haud ita magnum apud nos eſſe ipſe agnoſcerem, tamen non video, quomodo ii qui præcepta juris rom. tradituros ſeſe promittunt, quavis occaſione id permittente illo: *Hæc uſum non habent*, utentes, quæ germanorum jura, quæ pontificum, vel imo quæ praxis circa illa ſtatuant, immiſcent, eoque ipſo nec Jus Rom. nec Germanicum, nec Canonum, nec genuinam praxin auditoribus ſuis vere, ſed ex omnibus aliquid, in toto vero nil niſi confuſam quandam multiſcientiam propinent rite officio ſuo defuncti eſſe dici mereantur. Hocne enim eſt jus rom. docere? meo quidem judicio id neutiquam verum eſſe mihi videtur; hoc enim qui concederet, non vulgarem ignorantiæ ſuæ velandæ multiſciis illis occaſionem præberet. tt) Iſtum itaque potius pro fideli ac ſolido diſciplinæ cujusdam Doctore ego agnoſco, qui Jus Rom. Germanicum, Canonicum, & quæ ſunt alia ex ſuis quodlibet fontibus puris & rationibus tam ex communibus quam demeſticis principiis deductis auditoribus ſuis proponit, eisdem poſtea quæ uſum habeant vel non aliunde ut addiſcant, relinquit; Exinde enim fiet, ut ejusmodi juris ſtudioſi, ſingulis jurium diverſorum præceptis imbuti, eorundem differentiis cognitis, quæ uſum in praxi dein præſtent ipſi dijudicare optime valeant, nec aliorum auctoritate, uti opus habeant.

tt) Deſcendunt hinc egregia illa: *Tranſeamus hæc, utiliora tractemus, nullum hæc uſum præſtant, plenus eſt vepribus hic titulus, mittamus igitur*, & quæ ſunt ſexcenta illa eruditæ iſtius ignorantiæ brocardica, ſingula Jurisprudentiæ Rom. bene traditæ ſpecimina eximia,

Digitized by Google

§. LXXVII.

Brecard. XXVIII. Juris rom. magna eſt auctoritas.

Non paucos e contrario Juris Rom. adeo fere occœcavit amor ut non ſolum ſummas in iis perfectiones deprenhendiſſe ſibi videantur, ſed & leges veteres germanorum nil niſi fabulas abſonaque priſcæ ſimplicitatis veſtigia continere publice calumniari ipſos non pudeat. Vidiſti jam B. L. (§. LIX. ſeq.) multos in ea quæ ſubtilitatem ſapiunt, odio ferri ſolere, jam & ſimplicitatis ergo Jus germ. contemni intelligis, ſed eſt hæc ignorantium methodus, ut, prouti e re ſua eſſe exiſtimant, nunc hæc, nunc illa, quamvis e diametro ſibi oppoſita, pro utilibus vel inutilibus venditare non dubitent. Equidem ſi jus rom. cum jure antiquo germ. conferre quis conſtituat, iſtud hoc ſubtilitatibus longe antecedere nemo facile inficiabitur, cujus rei rationem vid. ſupr. (§. cit.) Num vero diſciplina alteram ſubtilitatibus ſuperans eadem idcirco ſit præſtantior, alia omnino eſt quæſtio, quam profecto nemo, qui ſimplicitatem alicujus negotii pro vitio non ſemper habendam eſſe didicit, facile affirmabit. Tantum igitur abeſt ut veteres germ. LL. ob ſimplicitatem contemtu dignæ mihi videantur, ut potius eaſdem præ romanis multis in rebus ſe commendare per illam exiſtimem, & eſt hæc profecto ratio illa, ob quam multi Jurisprudentiam germ. veterum contra invaleſcentem nimis rom. juris conſuetudinem introducendam ſæpe exoptent; quod quamvis ob mutatam rerum faciem in omnibus commode fieri non poſſit, in multis tamen non inutile id fore contenderem. Hactenus de ſimplicitate legum germ. vet. ad fabulas, quibus repletæ illæ eſſe dicuntur, quod attinet, negari quidem non poteſt, ante aliquod tempus de antiquitatibus veteris Jurisprud. germ. ob defectum ſcriptorum haud ita multa nobis innotuiſſe; ſciant vero iſti contemtores, quod partim doctiſſimorum noſtri temporis virorum induſtria defectum

ſectum hunc magnopere levatum jam videamus, partim ob ipſam illam harum LL. ſimplicitatem tam exacta & prolixa de illis hiſtoria nobis non ſit neceſſaria, quæ omnia ſatis declarant, neminem, niſi Jurisprudentiæ germ. ignorantem ejusdem facile futurum eſſe oſorem. Multi potius ex ſummis viris ſuo exemplo docuerunt, poſſe aliquos Jus Rom. percallere, Patriique Juris ſtudium idcirco neutiquam abhorrere.

§. LXXVIII.

Omnium autem ſibi videntur ſapientiſſimi, nec ullo prorſus modo reprehenſibiles, quod, quæ revera utilitas in Jure ſit, exſuxiſſe ſe arbitrantur, qui *media* nimirum in omnibus *via ingrediendum* eſſe præcipiunt. Neutiquam ego illos taxarem, media via qui ſemper incedere ſolent, illos modo jam alloquar, qui medium ſeſe in omnibus ingredi tam libere gloriantur, cum enim medium quoddam absque duobus aliis extremis concipi non poſſet, ſupra autem jam evictum fuerit, extrema illa, e. g. nimium antiquitatis nimiumque novitatis ſtudium determinatu maxime difficilia eſſe, ſaltem adhuc indeterminata, medium inter ipſa quod ſit, perobſcurum omnino hactenus etiam eſſe mihi videtur; cum enim veritas nunquam non ſit unica, medium iſtud quoque non niſi unicum reapſe detur neceſſe eſt, hoc autem unicum medium determinatu tam facile eſſe, ut quidem quotidie iſtud audimus, ut crederem tantum abeſt, ut potius multo difficilius id eſſe ego exiſtimem.

Brocard. XXVIII. Medium in omnibus tenendum.

§. LXXIX.

Quibus præmonitis facile prævideri poteſt, eadem præcipitantia ac confidentia, qua proni fuerint naſuti illi ac

Medium in rebus obſervandum quid ſit, difficile eſt dicere.

 Scioli

Scioli ad decleranda quævis, prouti ſua intereſſe ſuſpicabantur, vel pro utilibus, nimiis, vel inſufficientibus, (quod poſtremum tamen ob ignaviam ipſorum rariſſime factum agnoſces) in determinando iſto in omnibus obſervando medio eſſe verſaturos. Sic ignorantes omnia, quæ ipſorum notitiam transgrediuntur, pro transgreſſione quoque ea ipſa medii illius ſumme colendi venditabunt; Sic deſides illi ac ignavi omnia, quæ indagandi labores ac ſtudium augent, pro exceſſu ejusdem ſtatim habebunt ac vituperabunt; Sic me ipſum quoque a multis, quod ipſorum ſolitos circulos turbo, pro transgreſſore iſtius ſaluberrimi medii accuſatum iri, non dubito, ſed accuſent licet, ego donec iſta quæ ſint nimia, quæque inſufficientia, diſtincte ſatis non ſint determinata, medium iſtud quoque inter eadem obſervandum determinatum iri multo magis deſpero. tt) Præſtitit id quodammodo vir doctiſſ. C. L. Scheid. in elegantiſſima d. *optima int. Jurisconſ. diſſent. ſecta* diſſertatione, ſed iſtam determinationem adeo ſpecificam nondum eſſe, ut nullum amplius ignorantibus illis in refugio ad præſens brocardicum ſuperſit ignorantiæ aſylum, nec ipſe, ut ego quidem opinor, Dn. Autor diffitebitur. *Miſcellionum* itaque illorum aut *JCtorum erciſcundorum*, *Electicorumve*, nomina temere ſatis, ſed ſi omen ſpectes, infeliciſſime ſæpe ea ſibi arrogare multos, facile ex modo dictis intelligi poteſt.

tt) Pertinent huc illa non minus frequentia : *Moderatiores ita ſentiunt*, *tene certum & dimitte incertum*, *ſit modus in rebus, ſint certi denique fines.* E. c. quis vero eſt iſte modus, qui ſunt illi certi fines ? &c.

§. LXXX.

§. LXXX.

Sufficiant hæc de utilitate rerum materiarumque Juridicarum dicta, ex quibus ſatis elucet, quam periculoſum ſit, de utilitate privativa, ut ita loquar, aliquid velle definire; potuiſſent quidem de eadem materia plura adduci, ſed exercitationis notio contrahere me jubet; conſtitueram quidem brocardica illa ſubnectere, quibus ad probanda ſua aſſerta Juriſconſulti uti ſolent erantque paratiſſima, adeo ut nil niſi ultima manus deeſſet, ſed adeo excrevit præſens ſcriptum copia dicendorum, ut exercitationis limites fere tranſierit, alii igitur tempori ac occaſioni, ſi Deo ita placuerit, hunc laborem reſervo, ex omnibus autem, qui hactenus JCtis ſoliti fuerunt, probandi modis, non poſſum quin unum, apprime huc facientem, adhuc inducam, eſt iſte per inductionis modum probandi mos. *Tranſitus ad ſequentia.*

§. LXXXI.

Multi nimirum ſingularia ſub eodem genere aut ſpecie contenta colligendo, univerſalem concluſionem efformare, hocque ipſo veritatem aſſerti ſui demonſtrare conantur; Tantum autem abeſt, ut huncce probandi modum contemnendum exiſtimem, ut potius eundem præclarum, ab eoque plurimam hominum ſcientiam acquiſitam & ortam eſſe vere arbitrer. conf. ſup. §. V. hinc & multos Inductionem illam *omnium ſcientiarum matrem* prædicaviſſe recordor. Quid igitur reprehendendum, inquis, in illis qui hoc veritatem ſtabiliendi modo utuntur? nihil ſane, ſi eodem, ut decet, revera utuntur; ſed quemadmodum jam aliquoties oſtendi, rariſſime illos ſciolos, regulas veritatis eruendæ, a logica præſcriptas ſequi, ſed ab iis pro lubitu recedendi licentiam ſibi finxiſſe; aliter leges, aliter philoſophos loqui crepantes conf. ſup, (§. LIII.) ita non minus factum eſt, ut regulis inductionis, *De demonſtrationibus quæ per inductionis formam in jure fieri ſolent.*

ductionis, a logica, omnis veritatis duce ac magiſtra præſcriptis, neglectis prorſus ac poſthabitis per inductionem tamen ſe probaſſe jactitaverint.

§. LXXXII.

Vera inductionis regulæ non ſunt negligendæ.

Cum itaque Logices præcepta velint, ut vel inductione completa *omnia* ſingularia, ſub uno genere ſ. ſpecie contenta, adducantur, hoc autem quia ægre admodum fieri poteſt, vel inductione incompleta, ut diſſimile ſaltim exemplum in contrarium non poſſit adferri, utrumque temerarii illi ignorantiæ præſides non attendentes, perpauca ſaltem exempla quibusque contraria facillime poſſunt opponi, ſunt contemplati, exque iis ſtatim univerſale quoddam, tanquam certiſſimam veritatem orbi erudito obtrudere non erubuerunt. Deſcendunt hinc pleraque illa egregia Juris noſtri brocardica, quorum plurima non modo non ea ſunt conditione, ut non ſolum facile poſſint contraria multa exempla adduci, ſed etiam contraria exempla ipſum illud univerſale multitudine longe antecedant. Egregia ſane Inductio! Neque vero credas ab JCto hæc poſtulari non facile debere, ex innumeris doctorum virorum exemplis ablego te ad ill. Dn. Eſtoris nobiliſſimum de *miniſterialibus* opus, ubi non ſolum pro ſtabilienda veritate caſus ſat multos adductos, ſed & omnes in contrariam ſententiam prolatos veram ſententiam non deſtruere ſatis demonſtratum offendes; pari itaque modo ſi dicta tua ope inductionis confirmabis, laudabo.

§. LXXXIII.

Huic igitur meo labori modum ſuum, finemque certum ut ponam, nil ſupereſt, quam ut crebrum brocardicorum uſum Jurisprudentiæ puriori adverſari paucis adhuc demonſtrem. Ex ipſa autem brocardicorum definitione

ſub

ſub §. a me allata ſatis elucet, eorundem valorem ac veritatis præſumtionem ſolo uſu hominum pendere, id quod ne precario dixiſſe videar, ad quatuor potiſſimum attendas velim, quorum veritas ex hactenus a me adſertis adductisque exemplis ſtatim fiet obvia, 1) ad modum allegandi iſta brocardica e, g. *vulgatiſſimum eſt*, *jam vetus eſt proverbium, tritum eſt adagium, cui ignotum eſt*, *famoſiſſimum illud, iam diu pervulgatum*, *JCtorum axioma eſt* & ſimilia, 2) ad eorundem, quæ recte quodammodo ſe habent, deterrimum abuſum, quo factum eſt, ut male intellecta ac detorta in longe alium, quam qui reapſe iis ineſt, ſenſum ac ſignificationem abiiſſe multa deprehendantur, 3) quod & plurima in ipſis occurrant, in ſe futilia plane, vaga atque incerta, tanta nihilominus auctoritate pollentia, quanta ea ipſa, quæ in ſe conſiderata non ſunt abſona, ſed vel plurimum vel multum veritatis continent. Hæc igitur ſi conſideres, facillime perſpicies, brocardicorum veritatem non niſi conſuetudinis uſusque frequentis autoritate comprobari velle, id quod & 4, exinde ſe manifeſtat, quod tanta eorum eſt multitudo, ut unum alteri opponi v v) facillime poſſit, quo etiam fit, ut mirum inter iſtos brocardicorum amatores bellum exſurgere ſoleat, quippe pugna finita vel neutrum vel utrumque victoriam ſibi vindicare poſſe obſervabis.

v v) Sic ego brocardicis a me examinatis opponerem primo l. 2. ff. d. reg. jur. ſecundo: *Optimum ſemper eſt eligendum*, tertio: *Dicere non ſufficit ſed probare debemus.* c, 12. X. d. hæret. & ſic per omnia fere procedere facillimum foret. Quamvis autem ex duobus ſibi invicem oppoſitis unum tamen neceſſario verum ſit oportet, ſatis tamen ex hoc brocardicorum conflictu pateſcit veritas aſſerti mei, nempe brocardicorum veritatem nonniſi uſu conſuetudineque majorum comprobari ſolere.

Digitized by Google

§. LXXXII.

Ex ipſa igitur brocardicorum notione fluit eorund. crebrum uſum Jurisprudentiæ purioris cultorem maxime dedecere; Cum enim, quæ vera ſit brocardicorum conditio ac natura, diſtinćte ſatis oſtenderim, quis, quæſo Juris ſcientiæ tantam labem nefandamque adſpergeret maculam, ut eandem propoſitionibus precariis, vagis ac incertis, vel de quorum veritate non niſi per frequentem uſum conſtat, non dehoneſtari credat & deturpari? Quis potius Jurisprudentiæ genuinæ operam dans, deque excellentia ſui ſtudii communis non plane incurius, non ægre ferat, artem ſuam tam fallacibus tamque lubricis ſcatere ſymbolis? quilibet potius illas Juris aſſeclas, qui veritatem aſſertorum ſuorum iſtis brocardicorum præſidiis confirmare ſolent, id maximo Juris ſcientiæ propudio ac dedecori facere, facile agnoſcet.

§. LXXXIII.

Neque eſt ut quis, multa tamen inter iſta brocardica occurrere veritati quam maxime conſona, mihi objicere velit, nihilominus enim eorundem, tanquam brocardicorum uſum, JCtum, ſolidæ Jurisprudentiæ operam navantem, non decere exiſtimo. Cum enim quæ brocardicis ineſt, veritatem ſolo uſu ac conſuetudine aliorum fundatam eſſe ſatis demonſtraverimus, omnino conſequum, nec iis ipſis, quæ vera ſunt brocardica, JCtum, de puritate ſui ſyſtematis ſollicitum, uti ſecure poſſe; pudebit etiam quemvis Jurisprudentiæ ſolidæ ſectatorem, quique non credendi, ſed ſciendi modo iſtam addidicit, uti propoſitionibus, de quarum veritate ſibi non aliunde, quam per uſum conſuetudinemque aliorum conſtaret: Utetur omnino brocardicis veris, neutiquam vero tanquam brocardicis, id eſt, propoſitionibus

tionibus ob frequentem uſum xx) veritatis ſpeciem ferentibus, ſed iisdem tunc demum utetur, ſi de eorundem veritate ſatis ſemet ipſum redarguit, eoque ipſo fiet, ut neutiquam ad iſta provocaturus yy) ſit tanquam diu cognita ac vulgata, ſed ad eorundem verum habitum ſecum alios amittet.

xx) Minime vero hic repehendere auſim iſtum brocardica citandi modum, quando viri ducti, veritate aliqua ſatis evicta, plures eruditos eandem agnoſcere, brocardico aliquo diu frequentato comprobant. Hunc enim brocardicorum uſum dictis meis quam optime conſpirare cuivis facillimum erit intellectu.

yy) Equidem non ignoro in quocunque diſciplinarum ſyſtemate provocare licere ad propoſitiones ab aliis demonſtratas, nunquam vero audivi, iſtud hoc modo intelligendum eſſe, ut ſuæ ipſius artis principia ignorare quem liceret, ſufficeretque ad aliorum celebrium virorum uſum provocare; longe enim alia eſt *Lemmatum* illorum natura, ad quæ forſan quis reſpiceret, videſis Baumeiſt. inſtit. philoſ. rat. §. 228. Quodſi Jurisperiti mathematicos imitari ſibi ſumunt, ſane ab his nunquam methodum aſſueſient provocandi ad ſolum uſum propoſitionum, quæ ipſorum ſyſtemati ſunt propriæ ac domeſticæ.

§. LXXXIV.

Veritati conſentanea eſſe ea, quæ de parvo brocardicorum uſu adduxi, non parum quoque confirmatur eo, quod rariſſime eadem occurrere videas in iis ſcriptis, ubi ex certis omnia deduci ſolent principiis, in iis vero, quæ vel ex partium ſtudio, vel infinitæ lectionis gloriæ captandæ ergo exſtant elaborata, vix unicam paginam deprehendes, quæ non pleniſſime ſit referta ſacris illis ac venerandis a majoribus in nos translatis adagiis ſ. brocardicis; methodo commodiſſime ſubveniunt tumultuariæ, minime vero iſti, quam ſeculi noſtri ratio commendat.

Digitized by Google

§. LXXXV.

Hæc ſunt b l. quæ de brocardicis Juridicis ſum meditatus, potuiſſem omnino multa, præſertim in examinatione ſingulorum brocardicorum latius explicare, ſed aliis longior, aliis brevior nominabor; mihi non tam de ſingulorum brocardicorum ſed de generali omnium in præſenti potiſſimum notione ſollicito, iſta ſuffecerunt. Ea quæ protuli veritati diſſona, confutentur prorſus ac pro non dictis reputentur, imo, per me licet, exſibilentur, & irrideantur, me enim, pro puritate Jurisprudentiæ ſyſtematicæ ſcribentem, errorum veniam petere, piaculum duco, quapropter nec ad illud: *In magnis voluiſſe ſat eſt*, confugere volo, qui vero brocardici alicujus auctoritate flecti ſe ſinit, iſtud: Μωμεῖσθαι, ῥάδιον, μιμεῖσθαι, χαλεπὸν, perpendat quæſo; quæ autem dixi vera, ea non mihi, ignorantiæ illi Patroni, ſed veritati imputent velim, hanc oderint, dum mihi parcant, id quod idcirco hoc loco mihi expetendum eſſe duxi, quod contra ignorantiæ præſides ſcribere periculoſum eſſe multi doctiſſimi viri obſervarunt. Quod reliquum eſt, ex paucis, quæ ego adduxi, ſatis manifeſtum fit, ſaluberrimum omnino eſſe ill. Bœhm. monitum quod ſub §. II. n. a citavi, de colligendis examinandisque omnibus brocardicis Juridicis, quem laborem in me ſuſcipere conſtitui, ita tamen, ut nemini præreptum illum eſſe velim, præſertim cum ſortis meæ futuræ plane ſim ignarus, nec ſatis certus, num debitum iſti labori tempus impendere valeam; Sed quicquid erit, ſemper mihi propoſita eſto.

SOLIUS DEI GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

)o(

Digitized by Google